HARVARD UNIVERSITY.

LIBRARY

OF THE

MUSEUM OF COMPARATIVE ZOÖLOGY

62,266

Bought.

October 11, 1923.

OCT 11 1923

JOSEPHI NICOLAI

LAURENTI

AUSTRIACI VIENNENSIS

SPECIMEN MEDICUM,

EXHIBENS

SYNOPSIN REPTILIUM

EMENDATAM

CUM EXPERIMENTIS CIRCA VENENA

ET ANTIDOTA REPTILIUM AUSTRIACORUM.

VIENNÆ,

TYP. JOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,

CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

1768.

Medicum non modo decet, febres, & ulcera vulgaria agitare, ſed etiam animalium toxica diſcernere, diſcrimen ab illato morſu cognoſcere, eventum præſcire, antidota ad ſingulos caſus peculiaria parata habere.

MCZ LIBRARY
HARVARD UNIVERSITY
CAMBRIDGE, MA USA

PRÆLOQUIUM.

Ex universo miseriarum catalogo, quibus genus humanum affligitur, fere nulla magis medentis postulat auxilium, quam funesti casus, qui a venenatorum animalium injuriis proficiscuntur.

Alia enim mala subinde sponte & absque medicina componuntur, subinde per expellentis seu subigentis naturæ vires convalescunt, subinde etiam instinctu quodam, seu appetitu spontaneo remedium dictant, quo causa functiones lædens quandoque feliciter tollitur, nonnunquam etiam audaci tentamine vincenda.

Verum quorumdam animalium pestis subito lethalis est, & viribus derepente prostratis,

omnique negata cunctatione, ſanationis ſpem eripit, niſi opportunus adſit medicus, qui & animalium recte internoſcat toxica, & experta parataque adverſus ſingula in promptu habeat antidota, dum properantis in mortem morbi inevitabilis certitudo non ſinit aleæ vaga fama laudati remedii locum.

Nihilominus tamen hæc adeo neceſſaria, adeo expetita multis terris medicinæ pars, dum reliquæ fere omnes conjuncta Eruditorum opera ſedule excoluntur, unica ac ſola iis præſidiis, ac veluti tutela manet deſtituta.

Diſertiſſimi adeo in curandis morbis Auctores tamen ad hos funeſtiſſimos caſus non habent remedium.

Hujus jam non ultra ferendæ ignorantiæ varia cauſa eſt:

Princeps earum, ut omnium honeſtarum artium retardatio, eſt humi jacens Hiſtoria naturalis, cujus profecto oſores non alia magis re obſtinatæ ignaviæ convincuntur, quam hoc ipſo exemplo.

Similis eſt omnium reptilium & communis quidam teter ac venenoſus habitus, etſi decimam vix horum partem veneno armaverit natura, ſed verſipellia voluerit, ut dubia omnia metuerentur ab omnibus. Ita vero continuo iisdem erit ludibrio, quisquis Hiſtoriæ naturalis carens præſidiis has larvas non dignoverit: primo namque ſedulo quisque ſibi caverit ab unoquoque, etiam quod veneni ſit expertiſſimum; tum ſi lædatur, vel tangatur ſolum ab uno, cautus periculi, omnia curaverit adplicari,

ri, unquam in arte laudata, alexiteria, quo toxici vim prævertat, quam metuit, deleteriam, dum omni hac ridicula ſedulitate potuiſſet ſuperſedere, ſi animal, quod læſionem intulit, diſcreviſſet a venenatis.

Idem fere fraudi eſt in aliis lethiferis animantibus: neque tunc de ſuperflua ſedulitate agitur, ſed jam inſtat terrificum & inexorabile diſcrimen:

Et primo differentiarum incurius quisque, qui innocuos manu tractavit ſerpentes, etiam mortiferos non abhorrebit, formæ ſimilitudine faſcinantes, & miſero jam imponentes, cui differentiarum ſcientia potuiſſet moniti inſtar eſſe, ut fugiat, optimo conſilio! ſed & elabi ſic, experientiæ fiducia fretus, patietur pretioſam moram, qua adhibito antidoto ſervari potuiſſet.

Etiam citra hanc, plusquam militarem, audaciam, quæ rarior, crebrior caſus eſt, ut in antidoto ſeligendo erretur ex ſola ſpeciei lædentis ignoratione: aliud antidotum Naja Indorum, aliud Caudiſona Americanorum, Viperæ Italicæ ſingulæ aliud, aliud demum Cherſea Linnæi poſcit; ut alias taceam ſpecies, de quibus res necdum bene experimentis innotuit. Nihil ergo conferet Senega contra Najam, ophiorrhiza contra Caudiſonam, oleum contra Cherſeam Linnæi, aut ſal volatilis contra Berum noſtrum; quin hæc ipſa tum nova erunt venena, quatenus vana ſpe decipiunt miſeros, & ſubinde mortem accelerant, ſymptomataque augent. Quoniam ergo ſine cognitione ſpeciei non noſcitur debitum remedium, ſola certe differentiarum

ignorantia funeſto, nec ob moræ brevitatem poſthac ſupplendo, errori locum dare poterit.

Neque, quod difficilis ſit lædentis ſerpentis cognitio, cum morſu vix illato fugiant, & ſui quaſi ſceleris conſcii latebras petant, ſupervacanea dici ſpecierum diagnoſis debet; eo enim ipſo, quod e veſtigio vix conferri notæ definitionis poſſint, ipſorum experientia Naturaliſtarum oraculi inſtar erit, qui conjicere nempe propius ex ſolo loco, ſitu, ſolo, habitu poterint, qualis hoc ſpecies intulerit vulnus, de quo quæritur.

Cum igitur omne, quidquid boni circa quæſtionem de veneno horum animalium dici poteſt, ſoli, veluti baſi ac fundamento, Hiſtoriæ naturali innitatur, facile dicitur, cur jacuerit hucuſque hæc ipſa notitia.

Veteribus nempe, cetera laborioſis, bonarum artium infantia impedimento fuit! Inde fabularum farrago Plinii, Dioſcoridis, Aetii, Æliani, Nicandri &c., quibus ſcientia naturæ, ac medicina plus detrimenti paſſa eſt, quam commodi vera illorum relata attulerint.

Poſtea, cum homines, qui ſeſe Philoſophos dixerunt, dictaturam inter Eruditos tenuere, ſtudii ratio diligentiam a natura ipſa ad abſtractas ſpeculationes avocavit.

Donec inventa cælatoria arte commoditas fieret, viſa rudi ac ſolum ligno inciſa icone indicandi, quo multis ſuperſederent logomachiis. Ea vero res primum omnes plus promovit ſcientias, quam ut cuidam poſſit eſſe ignotum.

Ap-

Apparuere nempe cælatis ex figuris affinitates rerum, apparuere differentiæ! Perciti ſpectaculo mortales primo cogitarunt de Ordine, jam non ex nominibus vagis, ſed formis ipſis deſumendo, ut multorum mox voluminum proventum hæc ipſa res pepererit.

At ea ſecula non tulerunt virum, operi parem; hinc gemma longo tempore inter ſues conſervata eſt.

Seculo demum XVII. ſubito irradiare caligantium oculis quam plurimi magni Naturaliſtæ; & hoc ipſo, quo vivimus, denuo plures, quorum fere omnium raras dotes, naturæ hodie placuit in celeberrimo viro, hujusque Univerſitatis lumine Domino HENRICO JOANNE NEPOM. CRANZIO conjungere.

Hi relicto etiam iconum ſtudio, vel, quod ſatius ſit, additis, naturam exercitus inſtar in Claſſes ac Ordines per communes multis individuis notas dividere; hos ſimiliter per characteres ulterius in genera dirimere; generi ſuas rite definitas ſpecies ſubjungere; eodem auctorum nomina revocare primi cœperunt: quo factum, ut uno obtutu omnium orbis partium incolæ cum ſuis inter ſe affinitatibus, ac differentiis ſeſe offerrent oculis, & ſolo nomine prolato cuncta, quæ circa eam rem unquam dicta ſunt, per ſynonymiam una redirent in memoriam, metaque futuris poneretur ſeculis, ad quam, veluti ad centrum ſuum, omnia poſthac dicenda redirent (*).

(*) Hoc ſtudium Hiſtoriæ naturalis nomine venit. Eſt ergo

Adoleſcente ita & caput efferre incipiente naturali Hiſtoria, unica tamen ſua ſorte derelicta eſt hæc ipſa venenatorum Zoologia; quæ corpore frigido, colore lurido, cute fœda, facie torva, odore tetro, ſono rauco, morſu ſubito, veneno horrendo diu deterruerunt mortales, ne ſua perdenda objicerent corpora.

Ita ergo, ſi unum alterumve abhinc redeas ſeculum, vel omnino nihil invenias de hac claſſe memoriæ proditum, vel quod ſit omnibus nutricum fabulis abſurdius.

Suis profecto pudenda ſeculis ſunt, quæ Haly Abbas, Guilielmus de Placentiis, Vincentius Belluacenſis, Bertrucujus Bononienſis, Cæſalpinus, Baldus Angelus Abbatius, Julius Cæſar Claudinus, Athanaſius Kircherus, Albertus magnus, Mercurialis, Cappivaccius, Andreas Lacuna, Zacutus Luſitanus, Paulus Emilius Ferralus, Caſtor Durantes, Julius Cæſar Scaliger, Cardanus, Ulyſſes Aldrovandus (*), Joannes Bapt. Hodierna, & plurimi alii in hoc argumentum protulerunt, perpetuum ignorantiæ ſuæ poſituri monumentum. Ego exempla dabo de Salamandra maculoſa.

Sed & ſub initium hujus beati ſeculi tamen adhuc vera, quæ jamjam innoteſcere inceperant, cum fabuloſis baſiliſcis, draconibus, hydris,

---

hæc ſcientia inter omnes alias adhuc plus, quam index in vaſto, confuſoque opere.

(*) Qui Plinius Bononienſis dicebatur, jure merito! quippe qui æque fingendo laſcivit, ac Romanorum Plinius.

dris, ſexcentisque aliis temere ementitis monſtris, quibus partim Sinenſium Arabumque aſtus Europæorum incautam luſerat ſolertiam, partim quibus ipſi fictis a ſe ſibi placebant deliriis, adhuc una eademque fide, unis iisdemque claudebantur libris, ut cenſu habito (an. 1740. in altera edit. Syſt. Nat. LINNÆI) viginti quinque ex univerſo numero vera & fide digna nullis tamen adhuc differentiis ſpecificis dirempta pro toto terraqueo orbe ſupereſſent reptilia.

Inter hæc quidem ferreæ diligentiæ vir CAROLUS LINNÆUS telam producere, expilare primum muſea, Beslerianum, Olearianum, Wormianum, Grewianum, Petiverianum, Sloaneanum, Catesbyanum, Scheuchzerianum, & inter omnes reptilibus ditiſſimum hodie jam diremptum Sebæanum, & inedi-tum Pariſinum, aliaque, maxime noviter collecta Regis ad exemplum Adolphi Friderici, Gronovianum, de Geerianum, nec non Gyllenborgianum theſaurum Upſalienſi Academiæ oblatum; tum nationum remotiſſimarum ſpolia, quæ celeberrimi peregrinatores: Piſo, Leo Africanus, Pigafetta, J. Lery, Proſp. Alpinus, Hernandez, P. du Tertre, Marckgraf, Martens, de Flacourt, Kæmpfer, Knox, Barrere, Rob. Sibbald, Plot, Shaw, P. Labat, Lionel Wafer, Feuillée, Kolb, Hans Sloane, ac cordata femina Meriana, variis abhinc an-

nis Europæ intulerant, privatim ſervata, ſua facere; denique recentiſſimorum auctorum fidelibus relatis, ut Brownii, Gronovii, & diſcipulorum Petri Osbeck, Petri Kalm, Friderici Haſelquiſt, ipſe etiam uti, inde plurimas proponere ſpecies, easdem nova, reformata tamen nuper, & naturalibus ornata characteribus per GRONOVIUM meliora in genera digerere inſtituit.

Verum nimiis obrutus laboribus in generalibus acquievit, vera Genera pro Speciebus habuit, nec ad ipſas, paucis exceptis, Species pervenit; præterea easdem adhuc per ſolum ſcutorum, ſquammarumque numerum, fallacem & inconſtantem, ſi ulla res, ut in meis experior, notam, etiam GRONOVIO jam ſuſpectam, vix aut ne vix diſcrevit. Suo etiam nimis inhærens fundamento paratis auctorum autoptarum laboribus, ex quibus ingens addi novorum animalium agmen potuiſſet, tamen quod ſcuta, in imo poſita, cælato in opere oculis non pateant, uti non potuit, cum in ſuum numero ſuperſtructum ſyſtema ſine eo trahi non poſſent.

Neque poſt LINNÆUM majorem res perfectionem conſequuta eſt: manus ergo denuo admovenda operi, & deſtructis prioribus vexillis, novum videbatur erigendum, quantum quidem mihi homini omni muſeo (*), ac litterario cum

(*) Niſi Collectione rerum naturalium locupletiſſima Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi S. R. I. Comitis de Turn, generalis Epiſcopatus Paſſavienſis per Auſtriam Vica-

cum exteris commercio deſtituto, ex ſolis auctorum monumentis, & iconum fide conceditur.

Quemadmodum autem reipublicæ exiguum attulerit emolumentum, qui plantarum omnium formas mente circumfert, formis inhærens verſicoloribus, ac ſuæ modo indulgens curioſitati, ſi non & vires earum, & ad morbos curandos, ceterasque vitæ neceſſitates utilitatem ſimul habeat perſpectam; ita ſolæ ſerpentum nomenclaturæ, & macræ differentiæ nulli adhuc eſſent bono, niſi idem ſimul, qui formas earum internoſcit, colluctantibus his, cum aliis animantibus, beſtiis, circumſpectiſſima, tum circa venena, quam eorum antidota, inſtituat experimenta, quibus plane innoteſcat, cui ſingulo in caſu ſeu fidendum, ſeu non fidendum ſit medelæ.

Verum & ex hac parte facile oſtendero, non multum ſane adhuc ad ſcopum progreſſos eſſe Eruditos.

Celeberrimus Redi circa unicam, quam Italicæ officinæ hodie receperunt, viperæ ſpeciem experimenta inſtituit. Eandem ſcrutatus eſt Sebizius; ſed ſedem & naturam toxici inveniſſe contenti ad antidota non pervenerunt. Anglorum vero, quorum obſervationes Philoſophicis Transactionibus Nro. 443. 444. 445. 451. &c. continentur, etiam antidoto addito

rem

---

rii, qui me eadem uti, cum de opuſculo hoc jamjam Typographo tradendo cogitarem, liberaliter conceſſit.

rem confecerunt. Alia fuit, quod tamen ipſum nec notum auctori erat, quam in experimenta adhibuit Moses Charas, ac poſtea Bourdelotus, & in Acad. Reg. Pariſina cel. Jussieu, & in Academia Suecica 1743. Abraham Böck, ultimoque du Fay, (vid. phil. tranſ. 451.) qui primus, cum diſſonos ab Anglorum experimentis ſuis ſub manibus videbat emergere eventus, merito percontari cœpit, eademne vipera gallica cum anglica ſit? Dubium idem animadverſum etiam in Anglia eſt, ſed non ſolutum; ut, ſit? an non ſit? neutri hodie definitum nationi habeatur. Adeo nempe parum celeberrimæ in Europa & regiæ dictæ Academiæ Hiſtoriæ naturalis notitia tinctæ ſunt, ut primariam hanc & facilem obviamque diverſitatem non perſpexerint. Sloanus primus (phil. transact. 433.) facta etiam in America cum Caudiſona experimenta Regiæ Societati retulit: Eandem poſtea Tyssonus ex America ad ſua experimenta evocavit, & nonnullos alios Zeylanenſes ex India. Vid. Transact. eædem. Ultimo Caudiſonæ hiſtoriam completiſſimam cum omni antidotorum catalogo in actis Suecicis an. 1752. 1753. dedit Petrus Kalm. Clum Owen ultimo adhuc alias, novasque ſpecies experimentis ſubjeciſſe audio, quæ mihi non innotuere.

Salamandras diſquiſitioni ſubjecit jam olim Wurfbainius, & in Acad. Reg. cel. Maupertuis.

De

De bufonum quorumdam ſuſpecta indole pauciſſima interſpergit in ſua hiſtoria RÆSELIUS AB ROSENHOF.

Pauca hæc, eaque valde manca & imperfecta experimenta de re momenti maximi habemus; reliqua omnia cimeriis adhucdum tenebris ſepulta jacent. Maxima ergo pars intentata diligentiæ ſequentis ævi relicta eſt.

Sed & pauca hæc ſuperſtitione & nonnullorum hominum, neſcio quam, laureolam in muſtaceo quærentium fingendi licentia quaſi inundantur.

Omnes vero illos errores, figmenta, fabulas, deliria veterum noſtri denuo compilatores avide corraterunt, & falſa hæc cum vero remiſcuerunt, ut hodie unum ab alio vix diſcernatur, multum ſe præſtitiſſe credentes, quod obliviſcendas nugas poſteritati conſervaverint:

Come le pecorelle eſcon dal chiuſo
Ad una, a due, a tre, e l'altre ſtano
Timedette atterando l'occhio, e l'muſo,
E ciò che fà la prima, e l'altre fanno
Addoſſandoſi a lei, s'ella s'arreſta
Semplici, è quete, e lo inper che non ſanno.
PETRARCHA.

His accedit, quod etiam improbi labores, & multa ſedulitate partæ obſervationes inutiles, vitioſæ, ac ſubreptitiæ eſſe poſſint, dum auctores ſeu debita ſcientia non inſtructi penſum, humeris ſuis gravius, aſſumunt, ſeu non debito ordine in experiundo progrediuntur: Aldrovandus reliquit contra Natricis morſum auxilio eſſe, ſi homo, qui in pede demorſus ſit, eun-

dem

dem pedem continuo in humo humidiuſcula defodiat, inque ea per diem relinquat; potuit ſane vidiſſe, talem hominem citra omne damnum evaſiſſe. Verum non inſtituit experimenta debito ordine: oportuiſſet enim antea ſcire, an ſine hoc ei moriendum fuiſſet? Quo cognito, non opus fuiſſet moleſto adeo remedio; Natrix enim veneni eſt expers. Illuſit ergo generi humano ſubreptitia hac & vitioſa obſervatione.

Similis error fuit illorum Romanorum, qui Plinio & Gellio teſtantibus, uxorum probaturi pudicitiam, neonatos exponebant irratis ſerpentibus, ea ſpe: ut, qui morſu interirent, noſcerentur illegitimo thoro concepti; juſto vero, qui ſuperviverent; quod potius, ſi ſane fuiſſent ratiocinati, ſeu venenati ſerpentis ſeu innocui oportuiſſet eſſe documentum; nec, niſi vera præmiſſa: *unamquamque ſerpentum illarum æqualiter venenatam, & reliquas circumſtantias fuiſſe pares*; valere potuit concluſio.

Ultimo etiam experimentorum genus eſt, quod in ſe utiliſſimum, per accidens vero inutile eſt; talia maxime veterum erant, qui obſervatum quidem rite deſcribunt, ipſum vero animal, in experimentum adhibitum, non ſatis definiunt, ut hodie cognoſci poſſit. Hœmorrhous dicitur morſu ſuo efficere, ut ſanguis ex ſingulis poris corporis profluat. Id graphice deſcribit Lucanus in Pharſal. 9.

omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus;
Sanguis erant lachrymæ; quæcunque foramina novit
Hu-

Humor, ab iis largus manat cruor; ora redundant,
Et patulæ nares; ſudor rubet; omnia plenis
Membra fluunt venis, totum eſt pro vulnere
corpus.

Ita ſerpentem Sepem dictam morſu totum corpus in tabum putridum eliquaſſe idem narrat:

plagæ proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque oſſa retexit;
Membra natant ſanie, ſuræ fluxere, ſine ullo
Tegmine poples erat; femorum quoque muſculus
omnis
Liquitur, & nigra deſtillant inguina tabe
Parva loquor!
Hoc & flamma poteſt, ſed quis rogus abſtulit
oſſa?
Hæc quoque diſcedunt, putresque ſecuta medullas
Nulla manere ſinunt rapidi veſtigia fati.
Cinypheas inter peſtes tibi palma nocendi eſt;
Eripiunt omnes animam, tu ſola cadaver;

Symptomata vero a Preſteris morſu ita deſcribit:

Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutim, pereunte figura,
Miſcens cuncta tumor, toto jam corpore major
Humanumque egreſſa modum! ſuper omnia mem-
bra
Efflatur ſanies.

Di-

Dipſada vero ſitim accendiſſe inextinguibilem in A. Tuſco Catonis ſignifero, quem ſauciavit:

Non decus imperii, non mœſti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin ſpargere ſigna
Auderet, totisque furens exquireret agris,
Quas poſcebat, aquas, ſitiens in corde venenum.

Et paulo poſt;

Scrutatur venas penitus ſqualentis arenæ,
Nunc redit ad ſyrtes, & fluctus accipit ore,
Æquoreusque placet, ſed non ſibi ſufficit humor,
Nec ſentit fatique genus, mortemque veneni,
Sed putat eſſe ſitim, ferroque aperire tumentes
Suſtinuit venas, atque os implere cruore.

Tales obſervationes utiliſſimæ per ſe ſunt, ſed uſu per accidens carent, quia hodie non ſcimus, qui illi ſerpentes fuerint, dum nominum antiquorum nos fugit memoria, & auctor, Hiſtoriæ naturalis ignarus, differentiam non reliquit, quomodo ii poſteris ab aliis ſint diſcernendi.

Ceu igitur cognitionem ſerpentum ſine experimentis ſatis inutilem vidimus, ita viciſſim experimenta ſine præmiſſa diagnoſi ſerpentum; unum adeoque ſine alio per accidens inutile redditur, quæ tamen conjuncta vitæ humanæ plurimum poſſunt prodeſſe.

Itaque non modo de novo ſuſcipienda circa ſingulas ſpecies, tanquam hactenus ſeu prorſus non, ſeu male aut ſubreptitie facta, experimenta.

Or-

Ordo autem, quo in experiundo procedatur, tenendus eſt: primo namque rite cognoſcenda eſt ſpecies, quæ in experimentum adhibetur; dein ejusdem eſſentialis, quacum a congeneribus differt, quærenda ſeu confirmanda differentia eſt. Tum viva nulloque munita antidoto objicienda ſunt animalia: ac primo effectus notandi, quos venenum per ſe producit; tum varia ingerenda, notandi ſucceſſus boni malive, donec ad verum deveniatur antidotum, quale provida cuique toxico oppoſuiſſe videtur natura. Eadem tentamina poſtmodum vario ſub cœli climate, variis in anni temporibus reiteranda ſunt, donec compulſis omnibus manſura deducatur concluſio.

Ego profecto oblata tam honorifica ſcribendi occaſione majori animo rem aggreſſus eſſem, ſi accerſere intra hos temporis limites varios ex remotis orbis partibus licuiſſet incolas, nunc unicæ circumſcribi Auſtriæ inferioris reptilibus opuſculum hoc, etſi non voluerim, pati debui.

Sed ita ſaltem volui exequi conſilium, ut primo incolis accurate indicarem, quænam ex his ſpecies omni devitandæ ſint ſtudio, & quarum contra liceat contemnere minas. Atque in eum finem primo rejiciendas putavi Linnæanas differentias ex ſcutorum ſquammarumve numero, tum quod fallaces ſint, & in una eademque ſpecie plurimum ludant; tum quod in vivo, ubi plurimum intereſt, ſpeciem noſſe, numerare hæc non liceat: ideoque alias & novas ſubſtitui definitiones, non pro noſtris indigenis ſolum reptilibus, quas licuit ex autopſia & ſpecierum ipſa-

rum

rum collatione deſumere, ſed & in exoticis ex iconum præſtantiorum fide, tum ut concinniorem ipſe mihi invenirem ordinem, quo experimenta mea proponerem, quam ut aliis, difficilem ceterum, viam expedirem, qua poſthac telam inceptam perficerent. Præter hoc exacte adnotare eventus, qui ex ſingulæ ſpeciei ſeu morſu, ſeu halitu, ſeu urina, ſeu lacte verucarum &c. oriantur? Quæ differentia ex parte animalis mordentis, ſeu morſi, ſeu partis morſæ, ſeu ejus, quam venenum ſingulum ſympatheia ſpecifica amat affectare; denique effectus ſeu motus aucti ſeu ſublati pro tali vel alia prædiſpoſitione præciſe definire, avidiſſime contendi.

Ultimo antidota, quæ pro diverſitate omnium harum circumſtantiarum auxilio ſint, ſeu non ſint, ſeu mortem etiam accelerent, tum ex vaſta farragine medicamentorum, quæ hactenus ad ſimiles morbos varia fide laudabantur; tum variis aliis ſeu uſitatis vegetabilibus, ſeu medicamentorum nomine nondum laudatis vera, certa, infallibilia cupiebam exquirere. I. Ut neglecta remedia, ſi bona, ex ingrata vindicentur oblivione; II. Ut juſta, ſed vaga fide hactenus laudata, confirmationem non ſolum acciperent, ſed etiam ad caſum ſpecialem, in quo fors ſolo conveniunt, rectius reducantur; III. Ut nova ad novos caſus e naturæ ſinu eruantur alexiteria: ſi aliter certum, naturam nullum habere toxicum, cui non etiam antidotum admenſuraverit; ac demum IV. Ut ne vanis, inutilibus, fallacibus in caſu urgente fidatur re-

remediis, dum interim oportunum elabitur tempus, quo verum adhiberi potuiſſet antidotum.

Hac via primo inveni, nullum vere venenatum, ac homini lethiferum reptile in Auſtria gigni, niſi forte has oras Franciſci Redi, ſeu Illyrica, Gallicaque etiam vipera obrepant, quas ego quidem per incredibiles ſumptus, quos huic rei impenderam, non obtinui, ſed funeſti caſus, a ruriculis narrati, adeſſe probant.

Secundo. Reptilia multa veneno ſuſpecta primus abſolvi, ut poſthac in rem cibariam recipi poſſint, maxime cum cibum exhibeant diebus jejunii permiſſum.

Tertio. Acerrima bella Franciſci Redi ac Moyſis Charas; tum Anglicæ, Gallicæque Academiæ æternum duraturos diſſenſus facillime, ſola diſtinctione ſpecierum confuſarum, compoſui.

Quarto. Tabula reptilium, multo labore nata, viam exhibui planam omnibus, quibus poſthac eadem in meſſe deſudare placuerit.

Quinto. Contra viperam Redianam, adverſus cujus virus hactenus nullum noſcebatur antidotum, primus oppoſui Gentianam & Mercurium gummoſum in perpetuum eorum auxilium, qui ab hac beſtia læduntur

Si hoc meo labore Univerſitatis hujus, aliis jam meritis partam, gloriam magis ornavi; ſi celeberrimæ Academiæ ſoluta earum dubia mihi retulerint in acceptis; ſi

detectis antidotis miſeros quosdam ex inevitabili alioquin diſcrimine eruero; ſi hoc denique ſpecimine inaugurali inclytæ Facultati Medicæ videar ſatisfeciſſe, ſcopum quæſitum ovans attigi.

CLASSIS
REPTILIUM.

Character hactenus nullus datus: Pulmo enim arbitrarius pauciſſimis eſt, ut easdem ranas, bufones, hylas, quæ verno tempore in aquis degunt, ſi alio tempore immergas, ſuffoces; non omnes quidem, ſed multas, non aliter ac animalia pulmone neceſſario inſtructa.

Penis duplex pene laborem facit, qui quærat; & ſalientibus, ac gradientibus tardigradis certe omnibus genitalia nulla, præter anum, ſunt; aliis ſimpliciſſimus certe eſt, ut viperæ celeberrimi Gronovii.

Ova concatenata aliquibus ſerpentibus, & bufonibus ſunt; ſed gradientia curſoria ova, avium ovis ſimillima, ponunt. Ranæ, Hylæ eadem acervata dimittunt; & nonnulli ſerpentes vivos excludunt fœtus; unde VIPERÆ nomen.

Audio monuiſſe etiam multa circa hanc claſſem dexterrimum, & præmature mortuum virum Kleinium in ſuis dubiis circa Amphibia, quæ ego non legi.

Attamen cum claſſis hæc a celeberrimo Linnæo inventa valde naturalis ſit, & omnibus Eruditis plurimum placuerit, malui eam retinere, & ſequente charactere conjungere:

Animalia frigida;
Pilis, mammisque carentia;
Pulmone inſtructa, ſine diaphragmate, & fere ſine coſtis;
At vicaria gula, quæ alternatim aerem haurit, & contracta in pulmonem propellit.
Diutiſſime hybernantia;
Non maſticantia, cibum integrum deglutitum tardiſſime digerentia;
Famem tolerantia (per medium ſæpe annum).
Copula diu cohærentia;
Exuviis poſitis ſenectam exuentia.
Suſpecti (nobis omnibusque mammalibus) habitus.

At

At ex ea classe jam nonnullos veneno hujus seculi absolvit astutia: & imprimis cartilagineos illos pisces Raji, quos jam habitus quidam separat, & pinnæ natatoriæ piscibus faciunt propiores. Tum testudines & ranam esculentam; quas antiqui forte ob luridum aliquem habitum adhuc detestaverant, nunc jam pridem dapum primariarum albo intulit nihil inexperti relinquens, seu urgens fames, seu ipsa (jam reliquis satur cupediis) linguæ luxuria.

Supereſt vero ingens salientium, gradientium, serpentium cohors, quæ veterum ignavia laboriosæ Recentiorum reliquit curiositati, multis demum seculorum revolutionibus penitus maturanda. Ea præstantissimus LINNÆUS in Genera & Species dispositit; verum ea adeo vasta, ut barbariem fere, & pristinum sapiant chaos; has vagas adeo & generales, ut diversissimas larvas ad unam eandemque Linnæanam speciem possis revocare; ac demum tales etiam invenias species, quas cum nullo seu charactere, seu differentia, vel icone valeas combinare, ut omnino hujus classis statores celeberrimi magis videantur animalia ex remotis terris accersiisse, quam in propriis esse patriis versati.

Quamobrem habitus morum, victus qualitatum peculiarium, notarum evidentium fiducia, naturæ Ariadneum sequutus filum, alios inveni ordines, novaque detexi genera, quæ manifestiores limites compingunt, & ab invicem separant.

At major difficultas in speciebus constituendis occurrebat, in quibus sæpe ætas, & quæ-

dam quasi metamorphosium evolutio; in nonnullis fere anni tempus, habitatio sæpe etiam, & victus; ac denique in omnibus sexus ratio plurimam facit diversitatem. Huc color abdominis & raudæ spectat, qui junioribus serpentibus, & gradientibus nonnullis læte miniatus est, sed per tempus expallescere, ac demum primo vecum, specieique proprium nanciscí colorem, fulgoremque solet; tales & naturæ ludi in nonnullis speciebus abdominales maculæ sunt, quibus scutula quasi smaragdis, & saphiro distinguuntur; talis est colorum major, minorve intensitas, quæ ætate obsolescit, sed exuta cum exuviis senecta iterum redit.

Sed sunt etiam certæ, ac perennes notæ, quæ haud fallunt: talis est squammarum primo figura, tum ordo; sed & capitis figura ac proportio; lingua bifida, integra, lata, teres, nulla; tegumenta seu squammis, seu scutis latis, earumque figura, nexus; oculorum situs; cristæ corporis, ac caudæ; dentium ordo; corporis adulti magnitudo; rugæ, striæ, maculæ, ac ocelli dorsales lateralesque &c.; & maxime mirabile illud collarium in sepibus jam adnatum, jam vero solutum.

Neque his omnibus, licet constantissimis, notis quidquam detulissem, nisi demum vidissem, quod, quæ his conveniant, hospitio, moribus, pariendi ratione, metamorphosibus, aliisque attributis etiam consentiant inter se, differantque ab aliis. Atque ita non modo species novæ, celeberrimo Linnæo necdum definitæ, mihi passim occurrebant in Austria; sed etiam

ipsæ

ipſæ ſpecies Linnæanæ in plures ſubinde alias erant, ita ducente ipſa natura, dirimendæ.

Tali modo excrevit ſpectabilis Amphibiorum ſynopſis, multiplici oportuna uſui, & quidem primo: ut recte internoſcantur ſpecies, ad quas debent ſubſequentia experimenta referri (habitura ſine hoc ſortem obſervationum, a Veteribus: Ariſtotele, Theophraſto, Dioſcoride, Plinio &c. traditarum, quæ cum nominum evaneſcente memoria cœperunt utilitate carere, quam habuiſſent maximam, ſi operoſi cætera Viri nomina quoque æternitati reliquiſſent definita). Secundo: Ut incolæ ſolo habitu, & primo quaſi obtutu diſcernant animalia, quæ fugere oportet, optimo conſilio! Tertio: Ut medicamentorum ſpecificorum habeatur ſelectus pro diverſitate ſpeciei lædentis, dum jam non eget numeratione ſcutorum fallaciſſima, ſed ex differentia faciliori in oculos incurrente internoſcitur. Quarto: Ut via iis expediatur, quicunque in aliis terris cum ſuis animalibus ſimilia experimenta voluerint continuare, ad abſolvendam hanc graviſſimam Medicinæ partem.

ORDO I.

SALIENTIA.

Pedes poſtici ſaltatorii;
Corpus ſine ſquammis; exuviæ forma muci;
Aures membrana tectæ;
Dentes nulli, ungues nulli (præter pipam);
Genitalia nulla præter anum;
Metamorphoſis cauda caduca.

GENUS I.

PIPA.

Caput planum, breviſſimum, latum, antice rotundo arcuatum, corpori circumfuſum; collo breviſſimo ex rugis pauciſſimis; roſtro triangulari truncato foſſorio; fimbria reflexa; oculis remotiſſimis minimis. Digitis anticis teretibus, apice lobatis; poſticis longiſſimis, membrana indiviſa junctis, unguiculatis. Corpus orbiculare planum, latiſſimum ſupra nigro-

ſpa-

ſpadiceum; cute dura cartilaginea, tuberculis conſperſa, quæ cotyledonum inſtar aperiuntur, ut pullos recipiant. Pulli ex loculamentis dorſi prodeuntes, metamorphoſi nulla?

I. Pipa americana. *Seba I. Tab.* 77. *at coloribus fucata. Merian. Surinam. Tab.* 59.

Habitat Surinami.

Obſ. *Caro nigris Americanis in deliciis eſt.*

GENUS II.

BUFO.

Corpus orbiculare verrucoſum, ſordidum, tetrum; caput antice obtuſum, rotundatum, ſupra gibbum; dorſum rectum; at latera tumido-inflata; pedes breves: hinc ſaltus exiguus, amplexatio femellæ in coitu imperfecta; urethra jaculatoria. Ova in tæniam longiſſimam connexa. Vita nocturna; lucem, ſolemque peroſæ latent de die in humidis obſcuris; ſi protrahuntur, pupilla anguſtata in rimam. At noctu vagantur, prædæ (maxime phalænis) inhiantes. *Hinc differunt ab affinibus, uti ſtrix a falcone, caprimulgus ab hirundine, phalæna a papilione.*

II. Bufo cornutus. *Seba I. Tab.* 72. *fig.* 1. 2.

DIAGN.

Capite ingenti, antice rotundato, thoraci circumfuso; fauce ampliſſima. Superciliis conicis, mucronatis, mollibus, apice trifidis. Oculis in medio cornu ſupercilii.

Habitat Surinami. Junior ſpinis carens hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis FRANCISCI ANNIBALIS TURRIANI &c. &c. At adultus, horrendus aſpectu! dorſo, femoribus, ano ſpinis horret.

III. Bufo braſilienſis. *Seba I.* 73. 1. &. 2.

DIAGN.

Cinereo-flaveſcens, maculis rubris flammatis nebulatus, verrucoſus, ſubtus glaber.

IV. Bufo puſtuloſus. *Seba I.* 74. 1.

DIAGN.

Dorſo ruffo-cinereo; puſtulis dilute lacteis; lateribus, abdomineque dilute cinereis, maculis fuſcis.

Habitat in Indiis.

V. Bufo ventricoſus.

DIAGN.

Corpore fuſco, orbiculato. Hypochondriis dilatatis tumidis. Jugulo prominulo. Rugis tribus longitudinalibus dorſi. Tuberculis ſummi colli longitudinaliter digeſtis. Palmis digitis duobus exterioribus connatis.

Ha-

Habitat in Indiis. Hoſpitatur in Muſeo regio ſuecico.

VI. Bufo gibboſus.

DIAGN.

Capite indiſtincto, corpori circumfuſo; corpore ovato, undique tumido, convexo, rugoſo, alepidato, colore albo cinereoque vario; tænia dorſi cinereo-fuſca, longitudinali, utrinque dentata, fronte albicante, pedibus poſticis hexadactylis fiſſis.

Habitat in India orientali. Hoſpitatur in Muſeo regio ſuecico, Academico Upſalienſi, & Gronoviano.

VII. Bufo ſchreberianus.

DIAGN.

Carneus, lineis radiatis viridibus.

Repertus in Saxonia prope Monaſterium a G. H. Schreber.

VIII. Bufo viridis. *Tab. I. fig.* 1.

DIAGN.

Maculæ virides confluentes; verrucis macularum concoloribus, intervallorum rubris, intermediis bicoloribus.

Habitat inter fiſſuras, ſeu cavernas murorum obſcuras Viennæ.

IX. Bufo calamita. *Rœſel. Tab. XXIV.*

DIA-

DIAGN.

Dorſum coloris olivacei, puſtulis ſubrotundo-fuſcis, concinno ordine digeſtis, media linea ſulphurea diviſum; latera tænia inæquali lucida, ex rubro flaveſcente.

Habitat in variis latebris, terræ rimis, murorum cavis, ac foraminibus.

X. Bufo fuſcus. *Rœſel. Tab. XVIII. XVII.*

DIAGN.

Cutis levis, maculis fuſcis confluentibus nigro-lemniſcatis, dorſalibus maximis media linea diviſis; intervallis albicantibus, maculis candidis; at in lateribus, & prope artuum articulos eleganter miniatis.

Habitat in paludibus; variſſime hoſpitatur in continenti. Victitat inſectis, vermibus.

XI. Bufo vulgaris. *Rœſel. Tab. XXI. XX.*

DIAGN.

Cinereo-plumbeus, turgens, tuberculis rubellis exaſperatus; ſupra regionem aurium utrinque prominentia mollis, reniformis.

Habitat in umbroſis, ſepibus humidis, hortorum ambulacris, ſubterranea humida maxime quærens: vere, ac media æſtate, ut plurimum in paludibus inveniendus. Hybernat in lutoſis.

XII. Bufo obſtetricans. *Vid. inter exp. terreſtris minor.*

XIII.

XIII. Bufo igneus. *Rœſel. Tab. XXIII. XXII.*

DIAGN.

Supra terreo-olivaceus, maculis nigris; infra albido-cœruleſcens punctatus maculis læte miniatis.

Var. β. abdomine infra nigro; punctis maculisque candidiſſimis.

Habitat in paludibus noſtris Danubialibus ingenti in copia; autumno omnis via, qua itur in Nusdorff, iisdem ſcatet.

XIV. Bufo marmoratus. *Seba I.* 71. 4. & 5.

DIAGN.

Dorſo ſupra ex rubro & cinereo-flaveſcente, marmoris ad inſtar variegato; abdomine flavo, nigris maculis conſperſo.

Habitat Surinami.

GENUS III.

RANA.

Corpus elongatum, lineis longitudinalibus angulatum. Caput elongatum, antice coarctatum. Dorſum transverſe gibbum, ſeu ſpina ad lumbos articulata, tuberibus duobus transverſim poſitis. Ova confuſanea tumultuarie in acervum. Vita diurna; apricatio in ſole.

XV.

XV. Rana margaritifera. *Seba* I. 71. 6. & 7.

DIAGN.

Corpore ex fuſco-rubro, granulis margaritiformibus, dilute rubellis, conſperſo; lateribus flavo variegatis; abdomine albente; granulis dilute cæruleis; pedibus hiſpidis; palmis tetradactylis.

Var. β. (*Seba I.* 71. 8.) corpore dilute luteo; granulis rubris, palmis pentadactylis.

Habitat in Braſilia.

XVI. Rana marginata.

DIAGN.

Corpore ovato-oblongo, ſupra fuſco, ſcabro, ſubtus pallido, papillis minimis contiguis tecto; lateribus marginatis; plantis fiſſis.

Habitat in Indiis; hoſpitatur in Muſeo regio ſuecico.

XVII. Rana muta. *Rœſel. Tab. II. III. I. & frontiſp.*

DIAGN,

Color ruffo-fuſcus; macula oblonga nigra inter oculos & pedes anteriores; crura fuſco-faſciata.

Habitat primo vere in paludibus inter buſones, quos incaleſcente aere deſerit. Victitat culicibus, muſcis

XVIII. Rana campaniſona. *Gesner. piſc.* 952. *deſcript. ibid. pag.* 809. 11. 4. & 5.

DIAGN.

DIAGN.

Cinereo-lividus, veſiculis aſperſus; dorſo utrinque limbo tereti longitudinali a lateribus diſtincto; abdomine pallido; inguinibus rugoſis.

VOX: boatus ſonum campanarum e longinquo perceptum imitatur.

Habitat in paludibus Europæ vulgaris, ſed fugit tamen induſtriam Rœſelii.

XIX. Rana eſculenta. *Rœſel. Tab. XIV. XIII. & frontiſp.*

DIAGN.

Viridis, maculis nigris; ore elongato; dorſo linea longitudinali lutea triplici angulato.

Habitat in ſtagnis. Victitat omnibus, quæ moventur.

XX. Rana virginica. *Seba I. 75. 4.*

DIAGN.

Corpore cinereo, dorſo quinquangulo quinqueſtriato; maculis rubris; abdomine, pedibusque flaveſcentibus.

XXI. Rana marina. *Seba I. 76. 1.*

DIAGN.

Scapulis ſingulis ſcuto punctato, corpore lemniſcis convexis rotundis tectis, ano quadrifido.

Habitat in America.

XXII. Rana venuloſa. *Seba I. 72. 4.*

DIAGN.

DIAGN.

Corpore venuloſo, maculoſo, maculis confluentibus, inſulis interjectis; pedibus digitatis.

Habitat in Indiis.

XXIII. Rana pentadactyla. *Seba I.* 75, 1.

DIAGN.

Corpore venuloſo, maculoſo, dorſalibus transverſalibus, lateralibus rotundis ocellatis; pedibus faſciatis pentadactylis, digitatis, ſubtus laciniatis.

Var. β. Corpore fuſco; digitis anticis quaternis, cum rudimento quinti, poſticis quinis cum rudimento ſexti.

Habitat α in Indiis. β. Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

XXIV. Rana maxima. *Seba I.* 72. 3.

DIAGN.

Corpore venuloſo variegato; ſummo dorſo oblique maculato; pedibus, digitisque faſciatis; faſciis per paria approximatis, ſuperne confluentibus omnibus membrana palmatis.

GENUS IV.

HYLA (*).

Corpus leve, purum; ſubtus maculis albis, perexiguis, denſiſſimis, contiguis; cru-

(*) Hyla comes Herculis, ab eo in Bithinia perditus; fa-

crura poſtica longiſſima: hinc ſaltus ingens; digiti ſcandentes apicibus in arbicula viſcida plana, inſtar oris hirudinis dilatabilibus. CATESBY. 2. pag. 71. *hinc ſedet ſub folio, digitis adhærens, nec ſupra incumbens.*

XXV. Hyla ranæformis. *Seba II.* 13. 2.

DIAGN.

Capite rotundo plano; oculis prominentibus; pedibus faſciatis; lateribus ſaturatius tinctis; dorſo diſtinctiſſimo gibbo.

Var. β. (*Seba II.* 70. 4.) ſuperne maculis aſperſa.

Habitat prior in Lemno. β. *Surinami.*

XXVI. Hyla viridis. *Rœſel. Tab. IX. X. XI. & frontiſpic.*

DIAGN.

Supra virens, infra albens, utroque latere linea flava.

Var. β. (CATESBY *Carol.* 2. 71.) corpore tereti, linea utrinque flava, ſed recta; diſtinguitur clamore tſchit, tſchit, tſchit, dum noſtra clamat ra, ra, ra.

---

cris poſtea inſtitutis, ut continuo clamaretur hyla! hyla! hyla! quaſi ad eundem repetendum; ad cujus imitationem dixit VIRGILIUS:

Ut littus hyla hyla omne ſonaret.

Ecl. VI. 44.

Quam ob rem hæc quaſi Hylæ ſacerdos nomen ejusdem merita eſt.

Habitat prior in Europæ arboribus ; β. in America.

XXVII. Hyla fuſca.

DIAGN.

Corpore fuſco, pedibus ſubtus ad talos, & ad ſingulos digitorum articulos tuberoſo-laciniatis.

Hoſpitatur in Muſeo Academico Upſalienſi, & Viennæ in Turriano theſauro.

XXVIII. Hyla lactea.

DIAGN.

Corpore niveo, maculis lacteis, femoribus, tibiisque ſublividis; hypochondriis obſolete cinereo-faſciatis; ore ampliſſimo.

Var. β. coloris ſupra cæruleſcentis ſubplumbei.

Habitat prior in America ; hoſpitatur in muſeo Academico Upſalienſi. β in muſeo Petropolitano.

XXIX. Hyla viridi-fuſca. *Merian Surinam. Tab.* 56.

DIAGN.

Corpore fuſco, maculis viridibus emarginatis; pedibus viridi-faſciatis; collo utrinque ſacco conico viridi ocellato.

Habitat Surinami.

XXX. Hyla tibiatrix. *Seba I.* 71. *Fig.* 1. & 2.

DIAGN.

DIAGN.

Corpore dilute lacteo, maculis rubris; pedibus posticis palmatis. Mas coaxans utroque in latere colli vesicam, tibiæ instar, inflat.

XXXI. Hyla aurantiaca. *Seba I.* 71. 3.

DIAGN.

Corpore flavo, ex ruffo obumbrata; punctis ruffis, utrinque solitaria serie dorsum includente.

Habitat Surinami.

XXXII. Hyla rubra. *Seba II.* 68. 5.

DIAGN.

Capite magno; rictu ampliſſimo; corpore rubro.

Habitat in America.

XXXIII. Hyla sceleton. *Seba I.* 73. 3.

DIAGN.

Aureo-flava; dorso ex rubro variegato, undequaque extenuatiſſima.

Habitat in Brasilia.

GENUS V.

PROTEUS.

Animal amphibium, branchiis & pulmone arbitrario simul instructum. Sub aquis respirans aquam branchiis; at emersum

aerem pulmone hauriens: forte ut exſiccata palude poſſit aliam quærere per continentem. Maxillæ, ac digiti mutici. Cauda anceps. A gyrinis differt, quod branchiis, & pulmone ſimul inſtruatur, nec ſucceſſive.

XXXIV. Proteus raninus. *Seba Tom. I. Tab. 78. Tom. II. Tab. Merian. Surinam.* 71.

DIAGN.
Pedes poſtici ſaltatorii.

Habitat Surinami. Dicitur metamorphoſes alternas facere.

ORDO II.
GRADIENTIA.

Pedes quatuor gradientes;
Inceſſus abdomine a terra relevato.
Corpus collo, caudaque diſtinctis inſtructum.

Tardigrada: lingua integra; maxillæ & digiti mutici, cutis alepidota absque ſquammis; anus rima longitudinali; ova glutinoſa; metamorphoſes in aqua.

XXXV.

XXXV. Proteus tritonius. *Tab. II. Fig.* 2.

DIAGN.

Pedibus posticis gradientibus; capite gulloso, occulato; trunco brevi; dorso pinna membranacea.

Habitat in lacu, qui est in alpe Etscher. Paradoxum, ut hic sit gyrinus tritonis alpestris.

XXXVI. Proteus anguinus. *Tab. IV. Fig.* 3.

DIAGN.

Pedibus posticis gradientibus; trunco tereti elongato, candidissimo impini; appendiculis branchiorum corallinis; cauda compressa, membrana cincta; oculis nullis.

Habitat verno tempore in lacu Tschirnicensi Carniolicæ. Specimen pro examine, & delineatione liberaliter concessit R. P. HOHENWARTH S. J.

NB. Qui prætendit, ingentem hunc nonnisi Gyrinum esse, ostendat animal inde nascens, non aliter fidem habiturus.

GENUS VI.

TRITON.

Corpus æquale, teres, subverrucosum, alepidotum. cauda compressa lanceolata, in aqua eleganter agilis.

XXXVII. Triton Geſneri.

DIAGN.
Niger, punctis albis in abdomine.

XXXVIII. Triton Wurfbainii. *Salamandralog.* 54.

DIAGN.
Niger, faſciis albicantibus.

XXXIX. Triton utinenſis. *Matthiolus*, *Geſnerus.*

DIAGN.
Capite globoſo; dorſo nigro; luteis maculis.

Habitat Utinæ in paludibus opacis limoſis.

XL. Triton alpeſtris. *Tab. II. Fig.* 4.

DIAGN.
Corpore atro tuberculoſo; abdomine croceo-rubro immaculato.

Habitat in Etſchero monte.

An eadem, quam MATTHIOLUS invenit?

XLI. Triton carnifex. *Tab. II. Fig.* 3.

DIAGN.
Corpore atro tuberculoſo; gula punctata, abdomine maculato.

Habitat in præruptis umbroſis, ſabuloſisque.

NB. Statura duplo minor priori.

XLII.

XLII. Triton zeylanicus. *Seba II.* 12. 7.

DIAGN.

Corpus depreſſum flavum, albumque, nigris diſtinctum maculis, latera rubicundo nigrore variegata.

XLIII. Triton paluſtris. *Tab. IV. Fig.* 2.

DIAGN.

Corpore glabro; gula levi maculis characteriformibus abdomine ſubrotundis, dorſo ſupra plano, utrinque obtuſe angulato; digitis teretibus.

Var. β. triplo major: undequaque absque ordine nigro-punctulata, ventricoſa.

Habitat prior circa Viennam in aquis ſtagnantibus. β in Martinica; hoſpitatur in Muſeo Turriano.

XLIV. Triton criſtatus. *Acta regia Pariſina an.* 1729. *Tab. XV. Fig.* 1. cum luſa deſcriptione.

Wurfbain Tab. II. Fig. 3. 3. cum bona etiam deſcriptione *pag.* 65.

DIAGN.

Corpore ſpongioſo nigreſcente, maculis rotundis atris; gula hiſpida; cauda glabra, punctata, utrinque tænia alba longitudinali.

Habitat in paludibus. Occiditur ſale communi inſperſo intra 3. minuta. Act. Pariſ. l. c.

LINNÆUS interrogat: an forte larva lacertæ agilis? Inepta quæſtio! CL. DU FAY in cit.

Act. oſtendit, hunc generare oviparum; oſtendit præterea, & pinxit metamorphoſes &c. Legat LINNÆUS, & ceſſabit tandem interrogare.

XLV. Triton pariſinus. Icon nulla, ſed deſcriptio in *Act. reg. Pariſ.* 1729.

DIAGN.

Corpus fuſcum, ſeu flaveſcens, atris maculis conſperſum; caput tæniolis percurritur, quæ ortæ in collo, ſe reuniunt ſupra nares; inferior caudæ acies tænia albicante; criſta dorſi, ut prior.

XLVI. Triton americanus. *Seba I.* 89. 4. & 5.

DIAGN.

Corpus ſupra ſaturate ſpadiceum, maculis atris; infra dilute flavum, maculis ſubruffis.

XLVII. Triton Salamandroides. *Wurſbain Tab. II. Fig.* 4.

DIAGN.

Dorſo nigro, linea longitudinali diviſo, quam puncta alterne alba, nigraque conſtituunt; abdomine, gulaque luteis; pedibus, lateribus, labiisque luteis, nigroque punctatis; cauda ſubcompreſſo-teretiuſcula.

Habitat in Germania.

GE-

GENUS VII.

SALAMANDRA.

Corpus molle ſucculentum, cute ſplendida, lac fundente, absque ſquammis; caput utrinque, dorſum vero alterne tuberoſum; latera emarginata tuberibus tranſverſo oblongis coſtæformibus, at mollibus, ut ob eam rem omnes has tuberoſitates recte mammellas appellet Cl. MAUPERTUIS in *Acad. des Scienc.* 1727. Cauda articulata. Characterem bene expreſſit in *figura*, cætera peſſima WURFBAIN *Salamandralog. Tab. I. Fig. E.* Sceleton ſpina dorſi ſuperne proceſſibus tuberoſa: coſtarum non niſi rudimenta breviſſima exhibet. IDEM *ibid. Tab. III.* vivi- & oviparum ſimul.

XLVIII. Salamandra exigua. *Tab. III. Fig. 4.*

DIAGN.

Corpore fuſco, cauda compreſſiuſcula.

Habitat in vallis humidis, & ad ſepes frutico ſas, ſubtus lutoſas circa Viennam.

XLIX. Salamandra candida. *Wurfbain Tab. II. Fig. 1.*

DIAGN.

Corpore toto albo, cauda ſubtereti.

Habitat Patavii. Vivipara.

L. Salamandra atra. *Tab. I. Fig. 2.*

DIAGN.
Atra tota immaculata.

Habitat in alpe Etſcher Auſtriæ & Loibel inter Carinthiam & Carnioliam.

LI. Salamandra maculoſa. *Rœſel. ran. in frontiſpicio.*
Wurfbain Tab. II. Fig. 2. cum ſatis bona deſcriptione *pag.* 65.

DIAGN.
Atra, luteis maculis; macula punctata utrinque ad occiput.

Habitatio in ſubalpinis, & alpinis, & aliis montoſis ſylvaticis.

LII. Salamandra fuſca.

DIAGN.
Tota fuſca, absque maculis, absque ſplendore.

Habitat in alpibus.

Inventor CONRADUS GESNERUS, quum hunc percuſſiſſet, ſuccus ex plaga lacteus dimanabat.

LIII. Salamandra ſtrumoſa. *Seba II.* 20. 4.

DIAGN.
Struma turgida nodoſa, coloris dilute roſei; corpore dilute cinereo, maculis fuſcis diſtincto; cauda obſolete faſciata.

Habitat in India orientali.

GE-

GENUS VIII.

CAUDIVERBERA.

Corpus nudum; caput, cruraque tenuiſſime ſquammulata; digiti membrana natatoria juncti; ultimo utrinque criſtati, in fine lateſcentes. Cauda utrinque pinnata, pinnis pro ratione caudæ decreſcentis continuo increſcentibus, ultimis maximis, una impari.

LIV. Caudiverbera ægyptiaca. *Seba II.* 103. 2.

DIAGN.
Corpore luteo, ſtellato; pinnis caudalibus corallinis.

Hoſpitatur in Muſeo Petropolitano.

LV. Caudiverbera peruviana. *Feuillée Diarium Bot. II.* 319.

DIAGN.
Corpore atro.

Lingua integra; corpus purum, ſquammulis minutiſſimis tectum. Lingua integra, ſeu nulla. Anus varius.

GENUS IX.

GEKKO.

Tardigradus corpus totum tenerrime minutiſſimeque ſquammulatum, æquale, toro-

roſum, nudum; caput ingens, maxillis muticis; digitis utrinque membrana auctis, ſubtus eleganter lunulato-imbricatis, æqualibus, incraſſatis, apice craſſiſſimo ſubgloboſo, ungue recurvo, ſupra enato, deflexo, ſquammulis uſque ad apicem imbricato; ano transverſali; adultis dorſum, & occiput tuberculis raris muricatur; ac caput demum grandeſcit. Habitatio in domibus Indiæ.

LVI. Gekko verticillatus. *Seba I.* 108. 2. & 6. & 7.

DIAGN.

Cauda plicis maximis extrorſum verticillatis.

LVII. Gekko teres *Seba I.* 108. 1. & 3.

DIAGN.

Cauda tereti absque plicis.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

LVIII. Gekko muricatus.

DIAGN.

Corpore lurido; lateribus capitis, collo, dorſo, femoribusque mucronibus verrucoſis; caudaque ad medium ſexfariam ſpinoſis; apice lævi.

Habitat in Mauritania.

GE-

GENUS X.

CHAMÆLEO.

Corpus totum tenuiſſimis lucidisque tuberculis ſquammiformibus tectum; caput anguloſum; occiput pyramidato-faſtigiatum; oculi maximi, in ſacco rugoſiſſimo antice perforato orificio contractili. Lingua longiſſima antrorſum lateſcens, lumbriciformis; exſerta inſidentes muſcas venatur. Maxillæ muticæ; pedes omnes pentadactyli in palmas duas coaliti; altera didactyla, altera tridactyla. Inceſſus anomalus; cauda incurva ſcandens; anus longitudinalis. Tardus ſedet per multos dies in ramo immotus.

LIX. Chamæleo mexicanus. *Seba I.* 82. 1.

DIAGN.

Capite ſquammato; occipite trigono; fronte compreſſo-carinata, angulis emarginatis; dorſo, gulaque criſtato-ſerratis; corpore ſaturate cinereo.

LX. Chamæleo Pariſienſium. *Seba I.* 82. 2. & 4. & 5.

DIAGN.

Capite tuberculato; occipite tetragono; ſummo dorſo, caudaque utrinque tuberoſis; criſta nulla; corpore ſaturate cinereo.

Habitat in India orientali.

LXI.

LXI. Chamæleo zeylanicus. *Seba I.* 82. 3.

DIAGN.
Capite ſquammato, utrinque anguloſo, gibboque; occipite trigono, poſtice exſecto, angulis emarginatis; corpore croceo; criſta nulla.

LXII. Chamæleo africanus. *Seba I.* 43. 4.

DIAGN.
Capite utrinque angulato, criſtato; occipite reflexo criſtato; dorſo, cauda, gulaque criſtatis; corpore nigricante; criſtis albis.

LXIII. Chamæleo candidus.

DIAGN.
Capite utrinque angulato, angulis acutis in limbum eductis; occipite reflexo; dorſo carinato obtuſo; corpore tuberculato candidiſſimo.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

Obſ. Reliquos magnitudine antecellit.

LXIV. Chamæleo bonæ ſpei. *Seba I.* 83. 5.

DIAGN.
Capite utrinque anguloſo gibboque; angulis, dorſoque ſerrato-criſtatis; pyramide occipitis ſubnullo; corpore colore albo, cœruleoque vario.

GE-

GENUS XI.

IGUANA.

Corpus tenuiſſime ſquammulatum; caput callis anomale tectum; criſta dentata plerisque.

LXV. Iguana chamæleontina. *Seba I.* 100. 2.

DIAGN.

Capite transverſe angulato, longitudinaliter biangulato, cuneiformi; cervice dentibus longiſſimis reclinata, ſenſim ad medium dorſum evaneſcentibus.

Habitat in America.

LXVI. Iguana ſepiformis.

DIAGN.

Corpore albo, capite utrinque acute-angulato, cauda longiſſima, attenuatiſſima, ſquammis majoribus, criſta nulla, niſi ruga longitudinali gulæ.

Hoſpitatur in officina D. Hamerl ad S. Trinitatem in ſuburbio Widen.

LXVII. Iguana cordylina. *Seba I.* 107. 1. & 2.

DIAGN.

Capite convexo; occipite tuberoſo, transverſe ſubcriſtato; denticulis minutis; collum dorſumque denticulis ſparſis; cauda annulata, aculeis verticillatis.

Habitat in America.

LXVIII.

LXVIII. Iguana Salamandrina. *Seba I.* 107. 3.

DIAGN.

Capite convexo, nucha aculeis exiguis subcriſtata; cauda ſquammis majoribus imbricata.

Habitat in America.

LXIX. Iguana chalcidica. *Seba II.* 76. 5.

DIAGN.

Dorſi carina ſpinis pectinata, lateralique ſutura ſpinuloſa; fronte media ſcuto majori; occipite utrinque tuberoſo. Aure ſingula ſcrobibus quatuor, limbo membranaceo, lacero.

Habitat in Gallæcia.

LXX. Iguana minima.

DIAGN.

Gula pendula, ſubmembranacea, lineis cæruleis picta antice; dorſo vero, caudaque longitudinaliter ferrulatis; corpore ſericeo, ſupra livido, infra viridi.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani. Videri etiam poteſt auf der Wieden *in officina Dni. Hamerl.*

LXXI. Iguana delicatiſſima. *Seba I.* 95. 1. & 2.
I. 96. 4. & 5.
I. 97. 3.
I. 98. 1.

DIAGN.

Gula pendula, ſquammulis minutiſſimis tecta antice; dorſo vero longitudinaliter pectina-

tinatis lamellis longiſſimis acutis, ſenſim per caudam decreſcentibus; capite poſtice tuberoſo, antice gibbo; collo ſupra nudo.

Habitat in Indiis.
Hoſpitatur in eodem theſauro Turriano.

LXXII. Iguana tuberculata.

DIAGN.
Gula pendula, ſquammis minutiſſimis tecta, antice, dorſo vero longitudinaliter pectinatis, lamellis longiſſimis acutis, ſenſim per caudam decreſcentibus; nuchalibus imbricatis; capite ſupra plano; collo aculeis latis obtuſiſſimis duris ſupra undique tecto.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

LXXIII. Iguana calotes. *Seba I.* 95. 3. & 4.

DIAGN.
Gula tumida, ſquammis magnis imbricata nuda; dorſo longitudinaliter, & occipite utrinque transverſaliter longiſſimis dentibus pectinata; colore cœruleo.

Habitat in India orientali.

LXXIV. Iguana clamoſa. *Seba I.* 109. 3. & 4.

DIAGN.
Capite breviſſimo, gibboſiſſimo; occipite bicorni; dorſo, caudaque aculeis conicis brevibus, rarisque pectinato.

Habitat in India orientali.

GENUS XII.

BASILISCUS.

Occiput intra cava membranacea, ſquammulis tecta, prælta, conica, compreſſa; dorſum, caudaque criſta prælta radiata, ſquammulata, plicabili, quam, in arbore quieſcens, alterne complicat, & explicat. *Habitus Iguanæ, ſed criſta inſtar alæ draconis adeoque intermedius inter utrumque genus.*

LXXV. Baſiliſcus americanus. *Seba I.* 100. 1.

Habitat in America auſtrali.

GENUS XIII.

DRACO.

Alæ radiatæ ex lateribus ſecundum totam trunci longitudinem utrinque enatæ, ſquammulis minutiſſimis tectæ, inſtar ventilabri, ſeu flabelli complicabiles; ingluvies pendula forma ſacci acuti.

LXXVI. Draco major. *Seba I.* 86. 3.

DIAGN.

Gula tripartita, media compreſſa latiori, lateralibus ovatis, tuberoſis. Alis ad femora poſtica adnatis; pedibus anterioribus liberis; corpore toroſulo.

Ha-

Habitat in America, vescens muscis, aliisque insectis minoribus. Hospitatur Viennæ in Museo Illustrissimi Comitis Turriani.

LXXVII. Draco minor. *Seba II.* 102. 2.

DIAGN.

Gula simplici longa; alis ad pedes anticos adnatis; pedibus posterioribus liberis; corpore tenuissimo tereti.

Habitat in America.

GENUS XIV.

CORDYLUS.

Caput cataphractum, corpus squammis carinatis, carinis elevatissimis; muricatum.

LXXVIII. Cordylus orbicularis. *Seba I.* 83 1. & 2.

DIAGN.

Trunco subgloboso, supra muricato; capite trigono.

Habitat in Mexica.

LXXIX. Cordylus hispidus. *Seba I.* 109. 6.

DIAGN.

Trunco orbiculari, supra muricato; capite adunco, brevi, gibbo, utrinque angulato; vertice trimuricato.

Habitat in America australi.

LXXX. Cordylus ſtellio. *Tournef. Iter Tab. CXX.*

DIAGN.

Cauda verticillata mediocri, ſquammis denticulatis; capite, corporeque muricato.

Habitat in Oriente: Delos, Ægypto, Africa.

LXXXI. Cordylus verus. *Seba I.* 84. 3. & 4. *Tom. II.* 62. 5.

DIAGN.

Corpore livido, nigricante; ſquammis truncatis, lateralibus, carina acuminatis exſtantibus verticillato; abdomine ventricoſo; cauda ſquammis oblongis cinereis, annulatim coaleſcentibus; ſpinis carinarum verticillatis rigidis.

LXXXII. Cordylus braſilienſis.

DIAGN.

Corpore æquali, ſquammulis rotundis, dilute gryſeis, nitidis; cauda ſquammis oblongis annulatim coaleſcentibus corneis; ſpinis carinarum verticillatis rigidiſſimis; femorum poſticorum ſquammis, carina oblique conica brevi, ſquammulis mininis intermixtis.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

Var. β. (*Seba I.* 97. 4.) faſcia ad humeros ſaturate ſpadicea. Ex Braſilia.

GE-

GENUS XV.

CROCODYLUS.

Roſtrum longiſſimum, hinc rictus omnium animalium maximus; lingua nulla, ſed ejus loco muſculi maxillæ inferioris admodum tumentes, & valva elaſtica inter angulos maxillarum in fundo oris locata, gulam aperiens, atque claudens. Maxilla ſuperior mobilis, inferior immobilis cum ſterno coalita. Palpebræ convexæ, rugoſæ; nares in globo extremi roſtri; calli corpus tegentes; carina elevatiſſima, compreſſa, in ſubſtantiam corneam abeuntes, ut globo trajici nequeant. Anus longitudinalis rugoſus.

LXXXIII. Crocodylus niloticus. *Seba I.* 105. 3. & 4.

DIAGN.

Caput cataphractum, ſenſim contractum in roſtrum; nucha carinis denſiſſimis inæquali, quæ ſupra dorſum ſeries longitudinales multiplices affectant; cauda compreſſa, ſuperne carinis majoribus criſtata; pedibus triunguiculatis, anticis pentadactylis, poſticis tetradactylis, natatoriisque.

Habitat in India orientali, & Ægypto.

LXXXIV. Crocodylus americanus. *Seba I.* 106.

DIAGN.

Caput imbricatum planum, ſenſim contractum in roſtrum; nucha nuda; dorſo duplici ſerie carinarum, unaque ſinguli lateris: illa per caudam excurrente, hac ad pedes poſticos terminata; cruribus poſticis limbo poſtico carinis marginato; digitis utrinque quinis, omnibus unguiculatis, poſticis natatoriis.

Habitat in America.

LXXXV. Crocodylus africanus. *Seba I.* 103. 2. & 3. & 4.

DIAGN.

Dorſo ſcutis quadratis planis teſſellato; lateribus, abdomineque ſquammis ovatis imbricato; cauda ſupra una, alterave criſta carinarum. Pedibus anticis pentadactylis; poſticis tetradactylis natatoriis, omnibus unguiculatis.

LXXXVI. Crocodylus terreſtris. *Seba I.* 103. 1. & *Tab. CIV. fig. omnes.*

DIAGN.

Capite ſubgloboſo, corio communi obtecto, antice in roſtrum cylindrico-conicum longum attenuato; oculis convexiformibus. Corpore ſubtus ſcutis quadratis teſſellato, ſupra callis ſubrotundis ſcutiformibus tecto. Cauda ſupra carinarum criſta duplici; mox confluen-

fluente in unam. Pedibus omnibus pentadactylis, quinqueunguiculatis fiſſis.

GENUS XVI.

SCINCUS.

Corpus totum imbricatum ſquammis ſeu dorſalibus, frontalibus, abdominalibusque omnibus iisdem. Anus transverſus. Collum fere craſſitiei capitis.

LXXXVII. Scincus officinalis. *Seba II.* 105. 3.

DIAGN.

Corpore argenteo, compreſſo, carinato; cauda corpore breviore conica, ſubtus ſquammis transverſalibus. Digitis latis, unguiculis planis obliquis, ſquamma latiori ſubtus concava tectis.

Habitat in Ægypto.

LXXXVIII. Scincus ſtellio. *Seba II.* 10. 4. & 5.

DIAGN.

Corpore fuſceſcente, depreſſo, ſenſim gracileſcente; cauda corpus multoties excedente; digitis teretibus.

Habitat in India orientali.

Curſoria: corpus purum; lingua bifida, ſerpentina, exſertilis, & retrotractilis

in folliculum; abdomen ſcutis ſubquadratis teſſellatum; dorſum vero ſquammulis, ſeu granulis tectum.

GENUS XVII.

STELLIO.

Abdomen ſcutis quadratis teſſellatum; caput imbricatum; corpus politum, nec muricatum, nec criſtatum.

LXXXIX. Stellio ſaurus. *Seba II.* 105. 1.

DIAGN.

Corpore cæruleo, minutiſſime albo-punctato, punctis verticis in tæniam, qui in vorticem agitur; lateralibus vero, dorſalibusque in maculas rotundas confertis, quæ in ſeries transverſas diſpoſitæ annulatim ſupinum corpus circumcingunt; cauda ancipiti.

Habitat in Zeylania ad littora maris.

XC. Stellio ſalvator. *Seba II.* 86. 2.

DIAGN.

Atro-fuſcus; roſtrum faſciis alternis albis, nigrisve; pedes punctato-maculati; dorſum ocellis multiplici ſerie transverſa poſitis. Latera maculis dentatis.

Habitat in America.

XCI.

XCI. Stellio ſaxatilis. *Seba II.* 79. 4.

DIAGN.
Cauda craſſiſſima, ovata; corpore cinereo, nigro maculato, centris macularum ſpina alba munitis.

XCII. Stellio ſalvaquardia. *Seba I.* 101.

DIAGN.
Corpore ſquammulis minutiſſimis ſaturate ſpadiceo; pedibus croceo, alboque teſſellatis; capite tenui, in roſtrum elongato.

Habitat in Indiis.

XCIII. Stellio teſſellatus. *Seba I.* 76. 2.

DIAGN.
Corpore gryſeo, alboque teſſellatum; ſummo dorſo albo ruffoque flammato; caudæ extremo faſciato.

Habitat in Virginia.

XCIV. Stellio viridis. *Seba I.* 75. 2.

DIAGN.
Colore viridi, maculis ruffis nebulato; dorſo utrinque linea longitudinali alba intercepto, transverſaliter ſtriato.

Habitat in Virginia.

XCV. Stellio thalaſſinus. *Seba I.* 110. 4. & 5.

DIAGN.
Colore thalaſſino ſaturato, punctis oblongis, rotundisque nigricantibus ſubocellatis.

Habitat in India orientali.

XCVI. Stellio punctatus. *Seba II. 2. 9.*

DIAGN.

Capite ovato, parvo, indiſtincto; trunco tereti, pingui, lubrico, lineis duabus flaveſcentibus exſoletis; dorſum diſtinguentibus a lateribus; ſeriebus 6. longitudinalibus punctorum fuſcorum in area dorſi, & totidem in utroque latere; pedibus caudaque punctatis.

Habitat in Aſia. exiguum animal.

GENUS XVIII.

SEPS.

Caput cataphractum; femora poſtica ſubtus calloſo-punctata.

I. Abdomen imbricatum:

XCVII. Seps ſcincus.

DIAGN.

Corpore atro virideſcente, cauda corpore breviori; dorſo plano.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

Obſ. Simillimus ſcinco ſtellioni, & medius inter hoc & illud genus.

II. Abdomen ſcutis ſubquadratis teſſellatum:

Ordines ſcutorum abdominalium octo.

Col-

Collarium indiſtinctum ; gula ruga duplici; cauda corpore transverſali multoties longiore.

XCVIII. Seps ſurinamenſis, *Seba I.* 88. 1. & 2.

DIAGN.

Tænia media dorſi, caudæque lata cæruleo-virideſcente, margines linea albido-cæruleſcente diſtinguente, huic contigua utrinque tænia nigricans, albis punctis variegata; cui iterum lineola, ſed albicans terminos imponit; latera nigris maculis conſperſa, ſenſim albidioribus verſus abdomen.

XCIX. Seps zeylanicus. *Seba I.* 89. 3. & *I.* 90. 7.

DIAGN.

Tænia media dorſi lata, alba, per ſeries maculata, ad caudam abſciſſa; tænia utrinque cærulea, albo-punctata; cauda albo-cæruleoque-teſſellata.

C. Seps variegatus.

DIAGN.

Capite albo, nigroque vario; corpore ex rubello gryſeo; aure albedine circumfuſa; dorſo, pedibus, & cauda ſaturate ſpadiceo-variegatis.

Habitat in America.

CI. Seps marmoratus. *Seba I.* 97. 5.

DIAGN.

Corpore nigro cæruleo, faſciis albis, venarum,

rum, marmoris ad inſtar, confluentibus, & contextis; maculis rotundis intermixtis.

Habitat in Indiis.

Ordines ſcutorum abdominalium ſeptem. Collarium indiſtinctum. Gula ruga duplici transverſali.

CII. Seps lineatus. *Seba II.* 41. 6.

DIAGN.

Ater, linea nivea utrinque ab apice roſtri per dorſum ad caudæ baſim; linea alba a finu oris ad femora poſtica; cauda pallida; unguibus vix conſpicuis; palmis tetradactylis.

Habitat in Zeylona.

CIII. Seps lemniſcatus. *Seba I.* 92. 4.

DIAGN.

Atra, lineis albis, longitudinalibus octo; femoribus albo-punctatis; palmis pentadactylis.

Habitat in Guinea.

Ordines ſcutorum abdominalium ſex. Collarium diſtinctum, ſubtus ſquammis conſtructum.

α. Collarii ſquammæ infimæ adnatæ; ſcuta ſeriei intermediæ quadrata.

CIV.

CIV. Seps fericeus. *Tab. II. fig.* 5.

DIAGN.
Collario adnato; ſcutis intermediis quadratis; cute laxa, delicatiſſima, tenerrima, ſubſquammulata, fuſca.

Habitat in ſtratis lapideis circa aquas.

CV. Seps argus. *Tab. I. fig.* 5.

DIAGN.
Collario adnato: ſcutis intermediis quadratis; corpore quaquaverſum ocellato.

Habitat in muris verticalibus.

CVI. Seps muralis. *Tab. I. fig.* 4.

DIAGN.
Collario adnato; ſcutis intermediis quadratis; femoribus transverſis; corpore humili; tænia utrinque ad latera thoracis ſaturatiori.

Habitat in mœnibus, ruderibus, aggeribus lapidoſis paſſim ubique.

β. Collarii ſquammæ infimæ ſolutæ; ſcuta ſeriei intermediæ ſubrotunda.

CVII. Seps terreſtris. *Tab. III. fig.* 1.

DIAGN.
Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore fuſco; utrinque ſerie maculârum obſoletarum.

Habitat in terra lapidoſa plana.

CVIII.

CVIII. Seps ruber. *Tab. III. fig.* 3.

DIAGN.
Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; lateribus fuſcis, dorſo ruffo diſtinctiſſimo.

CIX. Seps cæruleſcens. *Tab. I. fig.* 3.

DIAGN.
Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpus cæruleo-margaritaceum; latera ocellata triplici utrinque ſerie.

CX. Seps varius. *Tab. III. fig.* 2.

DIAGN.
Collario ſoluto, ruffo; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore viridi, punctis brunis variegato.

CXI. Seps viridis. *Seba Tom. II. Tab. CIII. fig.* 4.

DIAGN.
Collario ſoluto cæruleo; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore elegantiſſime viridi.

Habitat in aggeribus lapidoſis ſabuloſis; in pratis ſterilibus apricis; in muris & mœnibus.

Var. β. Ex viridi cæruleſcens.
γ. Nigris maculis variegata.

Hoſpitatur utraque in Muſeo Turriano.

Ordines ſcutorum abdominalium numero indefinito.

CXII.

CXII. Seps cæruleus. *Seba I.* 33. 9.

DIAGN.
Capite albo; corpore cæruleſcente; dorſo longitudinaliter ſtriato; pedibus poſticis maculatis.

Habitat in America.

CXIII. Seps murinus. *Seba II.* 105. 2.

DIAGN.
Corpore cæruleo; dorſo immaculato; lateribus quadruplici ſerie longitudinali macularum rotundarum candidiſſimarum, deſcendendo magnitudine decreſcente.

Habitat in Java: muribus veſcens.

ORDO III.
SERPENTIA.

Corpus teretiuſculum,
Collo, trunco, caudaque in unum, abſque diſtinctione.
Inceſſus, deglutitio, vomitus per contorſiones peculiares corporis, & attritu ad humum inæqualem, antrorſum ſeu retrorſum ſecundum illud:

Su-

Supra ventrem tuum gradieris.
Geneſ. III. 14.

Maxillæ dilatabiles, nec articulatæ; œſophagusque laxiſſimus ad prædam duplo majorem ingurgitandam.

Genitalia contigua, vicino ano oppoſita.

Scandendo æquilibrant.

GENUS XIX.

CHALCIDES.

Animal ſupra ventrem ſe promovens, ſed reptatum pedibus adjuvans.

CXIV. Chalcides tridactyla Columnæ. *Ecphraſ.* 36.

DIAGN.
Pedibus quatuor tridactylis, auribus inſtructa.

Habitat in Europa auſtrali, & Africa.

CXV. Chalcides pinnata. *Seba II.* 68. 7. & 8.

DIAGN.
Pedibus quatuor monodactylis; auribus nullis.

Habitat in capitis bonæ ſpei lutoſis.

Anguis bipes.

GE-

GENUS XX.

CÆCILIA.

Corpus (absque squammis) nudum, subrugosum. Cauda nulla. Anus sub, & juxta extremitatem corporis.

CXVI. Cæcilia tentaculata. *Amœnit. I. T. XVII. Fig.* 2.

DIAGN.

Lateribus rugosis, rugis compactis; oculis manifestis.

Habitat in America.

CXVII. Cæcilia glutinosa. *Mus. Adolph. Frid. T. IV. Fig.* 1.

DIAGN.

Lateribus rugosis, rugis angulo acuto coëuntibus ad abdominis futuram; oculis minutissimis, membrana obductis.

Habitat in Indiis.

GENUS XXI.

AMPHISBÆNA

(Coleuvre à deux têtes).

Caput a corpore indistinctum, antice scutis tectum; corpus politissimum, cylindricum, æquale (hinc cauda non differt a capite) cute tectum; cauda obtusa.

NB. Hujus generis ſerpentes ſolo attactu puſtulas prurientes in cute facere, non ſolum Braſilienſes retulerunt, ſed & ipſe COUPLETUS obſervavit *in Act. reg. Pariſ. an.* 1701.

CXVIII. Amphisbæna alba. *Muſ. Ad. Fr. t.* 4. *f.* 2. *male.*

DIAGN.

Corpore toto albo; annulis rugoſis, ſupra infraque longitudinaliter ſulcato; capite fronte annulata, in anguſtum obtuſum roſtrum coacto.

Habitat in America. Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Com. Turriani Viennæ.

CXIX. Amphisbæna vulgaris.

DIAGN.

Corpore albo; capite immaculato; dorſo maculis fuſcis transverſis; lateribus, abdomineque rarioribus, vario.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſ. Com. Turriani Viennæ.

CXX. Amphisbæna varia. *Seba I.* 88. 3.

DIAGN.

Corpore albo nigro, ſpadiceo, gryſeoque vario.

Habitat in America.

CXXI. Amphisbæna magnifica. *Seba II.* 100. 3.

DIAGN.

Capite dilute flavo; tænia purpuraſcente trans-

transversa supra oculos; trunco ex purpureo, violaceo, & flavo variegato.

Habitat in America.

CXXII. Amphisbæna flava. *Seba II. 73. 4.*

DIAGN.

Capite flavo; corpore albo, fuscoque variegato.

Habitat in America.

GENUS XXII.

ANGUIS (Blindschleich).

Caput a corpore indistinctum. Corpus læve, cylindricum, seu utrinque æqualiter attenuatum, seu capite minimo, at corpore inde sensim magis incrassato. Cauda obtusa. Squammæ corporis superni imbricatæ. *

CXXIII. Anguis bipes. *Mus. Ad. Fr. Tab. XXVIII. Fig. 3.*

DIAGN.

Corpore subæquali pallido; puncto fusco in singula squamma, multiplici ordine longitudinali; extremitate caudæ compactiori, læviori, distinctissima; pedibus ad latera ani;

* Scuta in serpentibus plurimum variant, ut nunquam scutis ipsis fidendum.

tibiis breviſſimis imbricatis, inæqualiter didactylis, muticis.

Habitat in Indiis.

CXXIV. Anguis meleagris. *Seba II.* 21. 4.

DIAGN.

Corpore ſubæquali glauco, puncto nigro in ſingula ſquamma multiplici ordine.

Var. β. punctis fuſcis.

Habitat prior in Indiis. β. *hoſpitatur in Muſeo Turriano.*

CXXV. Anguis fragilis. *Tab. V. Fig.* 2.

DIAGN.

Corpore ſubæquali, glaberrima, nitens, reo-fuſca macula frontis, cervicisque, ex quibus duæ lineolæ ſubcontiguæ longitudinales.

Habitat in paſcuis muſcoſis; etiam ad vias, & in ruderatis.

CXXVI. Anguis lineata.

DIAGN.

Corpore ſubæquali nigricante; capite ſupra, dorſoque albo, diſtinctiſſimo; linea media a vertice incepta per totum corpus excurrente.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

CXXVII. Anguis calamaria. *Muſ. Ad. Fr. Tab. VI. Fig.* 3.

DIAGN.

DIAGN.

Corpore ſubæquali, livido, aſperſo punctis linearibus, faſciisque anguſtis fuſcis; cauda linea ferruginea longitudinali.

Habitat in America. Subtus teſſellata.

CXXVIII. Anguis reticulata. *Scheuchzer. Phyſic. ſacr.* 747. 4.

DIAGN.

Corpore ſubæquali, cinereo - nigricante, ſquammarum centris albidioribus; abdomine ex flavo albicante.

Habitat Surinami; hoſpitatur in Muſeo Gronoviano.

CXXIX. Anguis clivica. *Geſner. ſerp.* 69.

DIAGN.

Corpore ſubæquali, cinereo-fuſco; fronte ſcuto majori cordiformi.

Habitat Cliviæ frequens.

CXXX. Anguis longicauda. *Seba II.* 21. 4.

DIAGN.

Corpore ſubæquali, cinereo-fuſco; lineis ſummi dorſi, laterumque tenuiſſimis nigris; naribus ſinguli lateris orificio lato, foramine duplici.

CXXXI. Anguis annulata.

DIAGN.

Corpore ſubæquali albo; faſciis fuſcis rectis, ſubtus concurrentibus; cauda attenuata.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

Obſ. Cauda ſubtus duplici ſerie ſquammarum imbricatarum.

CXXXII. Anguis ſcutata. *Scheuchzer. Phyſic. ſacr.* 737. 1.

DIAGN.

Corpore ſubæquali tenuiſſimo, faſciis albis, nigrisve undulato; caput ſcutis latis; cauda acutiuſcula.

Habitat Surinami.

Obſ. Abdomen & cauda ſubtus ſcutis transverſis more maximorum Conſtrictorum Indiæ; hinc a priori ſatis diverſa.

CXXXIII. Anguis ſcytale. *Muſ. Ad. Fr. Tab. VI. Fig.* 2.

DIAGN.

Corpore æquali fuſco, ſed faſciis albidis: prima extremo ore, altera latiſſima ad nucham, ſuccedentibus ſenſim anguſtatis; reliquis partim transverſis, partim obliquis, partim cruciatim decuſſatis.

Habitat in Indiis.

CXXXIV. Anguis faſciata.

DIAGN.

Corpore æquali albo, faſciis fuſcis irregularibus, oblique concurrentibus, ſubinde incompletis, & confluentibus; oculis inviſibilibus; capite imbricato.

Ho-

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CXXXV. Anguis cærulea. *Seba II.* 30. 3.

DIAGN.

Corpore æquali, tenui, longoque; faſciis alterne candidis, & faturate cæruleis cinctum; capite antice ſcuto duplici, poſtice imbricato.

Habitat Surinami.

CXXXVI. Anguis corallina. *Seba II.* 73. 2.

DIAGN.

Corpore æquali, faturate corallino, faſciis dilute rubellis, in quibus apices ſquammarum nigri ſunt, cincta.

Habitat in Braſilia.

CXXXVII. Anguis atra. *Seba ibid. fig.* 3.

DIAGN.

Corpore æquali atro; faſciis albis, in quibus apices ſquammarum nigri ſunt, cincto.

Habitat in Zeylona.

CXXXVIII. Anguis ruffa.

DIAGN.

Corpore æquali, ruffo, lineis tranſverſalibus albis interruptis; abdomine vario.

Habitat Surinami; hoſpitatur in Muſeo Gronoviano.

CXXXIX. Anguis hepatica. *Scheuchzer. Phyſic. ſacr.*

DIAGN.

Corpore æquali; linea ſummi dorſi, laterisque ſinguli parum undulata, hepatica, intervallis hepaticis, maculis ſubrotundis albidis.

Habitat Surinami; hoſpitatur in Muſeo Gronoviano.

CXL. Anguis maculata. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXI. Fig. 3.*

DIAGN.

Corpore æquali, flavo, faſciis fuſcis latis linearibus, tæniaque dorſali fuſca longitudinali decuſſante faſcias, relicta inſula in centro ſingulæ crucis, unde totidem maculæ latæ rotundæ luteæ!

Habitat in America.

CXLI. Anguis decuſſata. *Seba I. 53. 7.*

DIAGN.

Corpore æquali, albo; faſciis rubris nigropunctatis, in ſummo dorſo late confluentibus, relictis ad nucham una, pluribusque inſulis, quæ ſenſim evaneſcunt, verſus caudam progrediendo.

Habitat in Aſia.

CXLII. Anguis teſſellata. *Seba 2. 100. 2.*

DIAGN.

Corpore æquali croceo, faſciis numeroſis, tæ-

tæniaque triplici; unde totum teſſellatum: capite albo, fuſcis maculis.

Habitat in Paraguaja.

CXLIII. Anguis alba. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIV. Fig. 2.*

DIAGN.
Corpore utrinque attenuato, albo, immaculato.

Habitat in Indiis.

CXLIV. Anguis lumbricalis. *Brown. Jam. Tab. XLIV. Fig. 1.*

DIAGN.
Corpore brevi, ſenſim incraſſato; ſquammis magnitudine creſcentibus, compactis ex albido flaveſcentibus, ſubargenteo nitore reſplendentibus; capite in roſtrum producto; cauda corpore duplo craſſiore, obtuſa.

Habitat in America meridionali, & Africa.

GENUS XXIII.

NATRIX.

Caput cataphractum ſcutis latis, plagioplateum, depreſſum, triangulare, maxillis poſtice diductis, antice contractum in roſtrum. Truncus glaber, nitidus, pone caput anguſtior; medio: inter caput, & finem caudæ craſſiſſimus. Cauda conica, elongata, attenuataque.

CXLV. Natrix longiſſima.

DIAGN.

Corpore longiſſimo, æqualiter cylindrico; capite diſtincto; ad occiput utrinque pone oris angulum macula pallida obſoleta; corpore fuſco nigricante, raris punctis luteis; abdomine æquali cinereo.

Habitat in Auſtria rarior. Vivam pro experimentis non obtinui.

CXLVI. Natrix candida.

DIAGN.

Corpore toto candidiſſimo, immaculato; ſquammis planis nitidiſſimis.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani Viennæ.

CXLVII. Natrix vittata. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XVIII. Fig.* 2.

DIAGN.

Ad occiput utrinque macula lata nigra, lineola alba cincta, e qua utrinque albicans enaſcitur tænia, per totum corpus excurrens.

Habitat in America.

CXLVIII. Natrix aulica. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XII. Fig.* 2.

DIAGN.

Corpore gryſeo, faſciis plurimis linearibus albis, utrinque ad abdomen bifurcatis; ad

occi-

occiput utrinque macula triangulari alba; in nucha ſubconfluente.

Habitat in America.

CXLIX. Natrix vulgaris. *Seba II.* 4. *Fig.* 1. 2. 3. 10. *Fig.* 1. 2. 3. (nec aſpis ægypti, cum qua confundit.)

DIAGN.

Ex cinereo-cæruleſcente nigricans; ad occiput utrinque macula albo-lutea, quæ a nigra excipitur; media in nucha inter priores cum oppoſita confluente; ſcutis abdominalibus ſingulis utrinque macula ſquammiformi.

Var. β. elegans cærulea; punctis atris, lineisque transverſis undulatis.

γ. Cærulea tæniola utrinque alba; maculis ſparſis atris, carinæ albis; abdomine albo, utrinque macula atra.

Habitat α paſſim in dumetis, ſepibus, fruticetis, vallis, pratis, & ipſis ædibus. β γ hoſpitantur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CL. Natrix Gronoviana. *Seba II.* 33. 1.

DIAGN.

Ex cinereo cærulea; ad occiput utrinque macula arcuata alba, quæ a nigra excipitur, inter priores media in nucha cum oppoſita confluente; abdomine nigreſcente; ſummo dorſo lineolis transverſis undulatis nigris.

Obſ.

Obſ. Numero ſcutorum ſimillima coronellæ Auſtriacæ, at reliquis diverſiſſima, & propius accedens præcedenti.

CLI. Natrix Æſculapii. *Muſ. Ad. Fr. Tab. II. Fig. 2.*

DIAGN.

Capite faſcia duplici nigra; corpore faſciis albis nigrisve, nigris linea annulari dimidiatis.

Habitat in Indiis.

CLII Natrix lemniſcata. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIV. Fig.* 1.

DIAGN.

Capite faſcia duplici nigra; corpore faſciis albis, nigrisve: nigris linea annulari duplici interruptis.

Habitat in Aſia.

CLIII. Natrix gemonenſis.

DIAGN.

Capite antice variegato; inter oculos faſcia brevi atra, occipite longiſſima, mediaque fronte latiſſima; nucha vero binis maculis majoribus, quas ſenſim minores ſequuntur, in ſeries digeſtæ, ultimo confuſæ, centris luteis, minutiſſime totum corpus variantes.

Habitat Gemonæ fori Julii; hoſpitatur in Muſeo Turriano.

α. Mari inter maculas majores luteus color interfunditur vivus.
β. Feminæ vero albus.

CLIV. Natrix ſaturnina. *Muſ. Ad. Fr. Tab. IX. Fig.* 1.

DIAGN.
Capite plumbeo; oculis ampliſſimis; corpore livido, cinereo, ſubnebulato.

Habitat in Indiis.

CLV. Natrix hippocrepis. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XVI. Fig.* 2.

DIAGN.
Capite livido, antice adunco; ſupra maculis lunulatis; faſcia fuſca inter oculos, & arcuata poſt occiput; corpore livido, maculis rotundis fuſcis multiplici ſerie: media maxima; lateralibus ſenſim magnitudine decreſcentibus.

Habitat in America.

CLVI. Natrix mucoſa. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIII. Fig.* 2. *Tab. XXIII. Fig.* 1.

DIAGN.
Capite angulato cæruleſcente; oculis magnis; labiis lineolis nigris diſtinctis; corpore oblique nebulato-faſciato.

Habitat in Indiis.

CLVII. Natrix cæruleſcens. *Muſ. Ad. Fr. Tab. X. Fig.* 2.

DIAGN.

DIAGN.
Capite acuminato plumbeo; corpore lævi cæruleſcente.

Habitat in Indiis.

CLVIII. Natrix Argus.

DIAGN.
Supra lævigatiſſima, fuſca, diſcis ſquammularum dilùtioribus ſubreticulata; infra teſſellata.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CLIX. Natrix filiformis. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XVII. Fig. 2.*

DIAGN.
Corpore nigro, ſubtus albo, anguſtiſſimo; capite craſſitiem trunci multum excedente.
Var. β. Corpore ſupra livido, linea fuſca utrinque poſt oculos orta, mox in exiguas maculas obliquas abrupta, tandem evaneſcente.

Habitat prior in Indiis. β hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CLX. Natrix exoleta. *Muſ. Ad. Fr. Tab. X. fig. 2.*

DIAGN.
Corpore flagelliformi, cinereo-cæruleſcente; ſquammis obtuſis magnis raris; labiis albis.

Habitat in Indiis.

CLXI.

CLXI. Natrix Ahaetulla. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXII. fig.* 3.

DIAGN.

Capite faſcia nigra trans oculos; corpore flagelliformi ex viridi & aureo nitidiſſimo; ſquammis tergi apice nigris, inde lineæ transverſæ; cauda tetraedra.

Habitat in Aſia, America.

CLXII. Natrix mycterizans. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIX. fig.* 2.

DIAGN.

Corpore flagelliformi, ſquammis molliſſimis, carneo-purpuraſcentibus; capite angulato; roſtro producto tetraedro; orbitis ſupra cæruleis; dorſo utrinque ſubtus linea alba diſtincto ab abdomine, antice maculis cæruleis rhomboidalibus, in faſcias, quarum crura oblique poſtrorſum excurrunt, cohærentibus; abdomine carneo; cauda pentaedra.

Habitat in America; Viennæ hoſpitans in theſauro Turriano.

CLXIII. Natrix flagelliformis. *Seba II.* 23. 2.

DIAGN.

Corpore flagelliformi, ſupra cæruleo æquali, infra virideſcente; capite angulato; roſtro producto tetraedro; dorſo utrinque linea alba ab abdomine diſtincto; cauda pentaedra.

Var. β. (*Catesby Carolin.* 2. 47.) colore magis ex cæruleo virideſcenti.

Ha-

Habitat prior Surinami; Viennæ hoſpitans in theſauro Turriano. β. in Carolina in arboribus: inſectis inhians.

Obſ. Arma huic, & præcedenti ſpeciei in maxilla inferiori: ideo nimis affines; forte quod hanc CATESBY veneno abſolverit, religioſe diſtinguit LINNÆUS, immerito!

CLXIV. Natrix lubricá. *Seba II.* 43. 3.

DIAGN.
Corpore flagelliformi, ſplendente lubrico, albo, faſciis nigris.

Var. β. (*Seba II.* 43. 3.) faſciis rubris.

Habitat prior Surinami. β. in Africa.

CLXV. Natrix humana.

DIAGN.
Corpore nigro, albis maculis variegato; cauda faſciis alterne albis, nigrisve cincta.

Habitat in Amboina, & Mexico. Veneni expers, homini amica. Hoſpitatur in Muſeo Gronoviano.

CLXVI. Natrix punctata.

DIAGN.
Corpore fuſco, maculis minutiſſimis albis, toto corpore ſparſis.

Hoſpitatur in Muſeo Gronoviano.

GE-

GENUS XXIV.

CERASTES.

Caput cataphractum, ſcutis latis cathetoplateum globoſo-ovatum, utrinque attenuatum. Os absque roſtro obtuſum, rotundatum. Truncus Natricis, ſed robustior, toroſior. Cauda craſſa, obtuſiuſcula.

CLXVII. Ceraſtes ſeverus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. VIII. fig.* 1.

DIAGN.

Cinereus, faſciis albis, quarum crura oblique anteriora ſpectant; linea nigra per medium dorſum faſcias ſuperſcandente; lateribus albo-maculatis.

Habitat in Aſia.

CLXVIII. Ceraſtes plicatilis. *Seba I. 57. 5.*

DIAGN.

Corpore cineritio flaveſcente; lateribus maculatis maculis rubro-fuſcis, in unam ſeriem cohærentibus, antice ocellatis; pupilla alba, quæ verſus caudam demum evaneſcit.

Habitat in Ternateis.

CLXIX. Ceraſtes aurora. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIX. fig.* 1.

DIAGN.
Cauda, colloque craſſiuſculis; dorſo ſaturate flavo, diſtinctiſſimo; lateribus lividis.

Habitat in America.

CLXX. Ceraſtes rhombeatus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXIV. fig.* 2.

DIAGN.
Corpore cæruleſcente, maculis nigris, ſubrhombeis; in medio cæruleis, per ſeries tres longitudinales digeſtis.

Habitat in Indiis.

CLXXI. Ceraſtes agilis. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXI. fig.* 2.

DIAGN.
Capite ventre multoties minore; corpore faſciis alterne albis, & fuſcis, nigro-punctatis.

Habitat in Zeylona.

CLXXII. Ceraſtes Cobella.

DIAGN.
Capite ventre graciliori; corpore lævi; tæniis cinereis, ferrugineisque alternis plurimis; linea media dorſali nigricante; ſquammarum utrinque poſitarum marginibus albis.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani; degit cæterum in America numeroſiſſimus. CLXXIII.

CLXXIII. Ceraſtes lacteus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XVIII. fig.* 1.

DIAGN.
Vertice atro, linea longitudinali alba; corpore albo, maculis geminatis atris.

Habitat in Indiis.

CLXXIV. Ceraſtes nebulatus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXIV fig.* 1.

DIAGN.
Corpore cinereo, fuſcoque nebulato; labiis albis; lineolis fuſco-nigris, tranſverſis brevibus.

Habitat in America, aſcendens tibias hominum, & ſtringens.

CLXXV. Ceraſtes candidus. *Seba II.* 15. 1.

DIAGN.
Corpore candido, maculis rariſſimis nigricantibus, nigris, inæqualibus; caudæ apice nigro.

Habitat in Lybia.

CLXXVI. Ceraſtes mexicanus. *Seba II.* 20. 1.

DIAGN.
Corpore ſupra atro, infra candido; dorſo a nucha ſtriis obliquis candidis; poſt medium vero faſciis ſimilibus, in quibus apices ſquammarum nigreſcunt, variato.

CLXXVII. Ceraſtes coronatus. *Seba II.* 105. 3.

DIAGN.

Aterrimus; maculis, punctisque inæqualibus candidis.

Habitat in nova Hiſpania.

GENUS XXV.

CORONELLA.

Caput media fronte inter oculos clypeo lucente, ex ſcutis majoribus polymorphis in figuram ſubovatam conſarcinato, qua major capitis pars obtegitur; latera vero & occiput utrinque ſquammis imbricatis. Corpus Natricis, ſeu Ceraſtis.

CLXXVIII. Coronella auſtriaca. *Tab. V. fig.* 1.

DIAGN.

Ex cinereo cæruleo-ruffa; maculis dorſi alternis diſtinctis.

Var. β. (*Seba I.* 52. 4.) ſupra corallino rubore ſuffuſa, ſubtus alba; maculis dorſalibus alterne cohærentibus.

Habitat prior vulgaris circa Viennam; at β. *ex America.*

CLXXIX. Coronella ocellata.

DIAGN.

Scutello cinereo; corpore cæruleſcente; ocellis atris; pupilla cærulea, quadruplici ſerie longitudinali; intermediis minoribus.

Var.

Var. β. *Seba II.* 1. 3 & 8. ſcutello ruffo flaveſcente corpore rubello, ocellis coccineis.

Habitat α. in Africa; hoſpitatur in Muſeo Turriano. β. in Zeylona & China.

CLXXX. Coronella faſciata.

Diagn.
Scutello cæruleſcente, lineis radiatis fuſcis; corpore albo - cæruleſcente, faſciis fuſconigris, quas lineæ duæ longitudinales albæ dirimunt.

Habitat in Africa. Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

CLXXXI. Coronella hotamboeia. *Seba I.* 33. 6.

Diagn.
Capite ruffo; corpore flavo, binis faſciis ſaturatioribus cincto.

Habitat in India orientali.

CLXXXII. Coronella anguiformis.

Diagn.
Albida, faſciis fuſcis integris, ſubtus oblique concurrentibus, tota denſiſſime annulata.

Hoſpitatur in Muſeo Turriano.

Obſ. Similis angui faſciatæ, ſed charactere diverſa.

CLXXXIII. Coronella virginica. *Seba I.* 75 3.

DIAGN.

Saturate fuſca, faſciis luteis.

CLXXXIV. Coronella latiroſtra.

DIAGN.

Corpore lævigatiſſimo, dilute fuſceſcente, faſciis raris albo ſubfuſceſcentibus; roſtro depreſſo plagioplateo.

Var. β. Intervallis faſciarum minoribus elypticis, faſciis prope abdomen lateſcentibus, confluentibus.

Hoſpitantur in Muſeo Turriano.

CLXXXV. Coronella ceraſtoides.

DIAGN.

Corpore lævigatiſſimo, albo ſubfuſceſcente; maculis dilute fuſceſcentibus, occipitalibus binis longitudinalibus, dorſalibus elypticis, una ſerie poſitis; capite ſubgloboſo magno.

Hoſpitatur ibidem.

CLXXXVI. Coronella tæniata.

DIAGN.

Subtus, lateribusque infimis; albo ſubfuſceſcens, lateribus ſummis dilute fuſcis diſtinctiſſimis; medio dorſo tænia ſaturata fuſca; capite ſubgloboſo.

Hoſpitatur ibidem.

Hæ tres ſpecies nimis affines ſunt, & fere confluunt.

CLXXXVII.

CLXXXVII. Coronella tygrina. *Seba II.* 15. 2.

DIAGN.

Capitis ſcuto candidiſſimo; corpore toto maculato.

Habitat in Amboina.

CLXXXVIII. Coronella teſſellata.

DIAGN.

Corpore toto ſupra nigro, fuſcoque alterne teſſellato; ſubtus atro, utrinque maculis albis ſquammæformibus inæqualibus; capite elongato.

Habitat in Japidia, vulgo Cars; hoſpitatur in theſauro Turriano.

CLXXXIX. Coronella petola. *Seba I.* 54. 4.

DIAGN.

Cinereo-lutea, annulis colli, caudæque fuſcis, intermediis infra deliqueſcentibus, ſupra confluentibus.

Habitat in Africa.

CXC. Coronella africana. *Seba II.* 82. 2.

DIAGN.

Scutello frontis candido, ſpadiceis maculis ornato. Corpore candido, ſummo dorſo antice maculis ſubrotundis, ſenſim rhomboidalibus, medio corpore demum rhomboidali-transverſis, marginibus rubellis.

CXCI. Coronella cervina, *Seba II.* 79. 3.

DIAGN.
Alba, verſus utramque extremitatem nigro-flammata: in medio vero corporis nigro-punctata.

Habitat in America.

CXCII. Coronella catus, *Seba II.* 75. 1. & 2. & 3. & 4. & 5.

DIAGN.
Alba; ſed ſquammis interſperſis nigris quaternis in areolas confertis.

Habitat in America; muribus, gliribusque inſidiatur, uti in Europa feles.

GENUS XXVI.

BOA.

Frons convexa, imbricata; roſtrum valde plagioplateum, depreſſum, rotundatum, antice ſcutis cataphractum; oculi ad latera, inque parte poſtica roſtri ſiti, ſcutis radiatim cincti; labium ſuperius retuſum emarginatum; lateribus ſcrobibus, ſcalaribus excavatis. Dorſum tæniolis transverſis, ſubundulatis, nonnunquam interruptis comparatione venarum marmoris: antice vero tantum puncta al-

alterna; latera immaculata; habitatio in arboribus.

CXCIII. Boa thalaſſina. *Muſ. Ad. Fr. Tab. III. Seba II.* 96. 2.

DIAGN.
Capite ſubruffo; corpore viridi thalaſſino diluto; labiis, maculisque dorſalibus candidis.

Habitat in America.

CXCIV. Boa aurantiaca. *Seba II.* 81. *fig.* 1.

DIAGN.
Capite ſubruffo; corpore aurantiaco lucido; labiis dilute rubentibus; maculis dorſalibus dilute flavis, margine ſaturate rubris.

Habitat in America.

CXCV. Boa exigua. *Seba II.* 34. 2.

DIAGN.
Corpore ex ruffo flaveſcente; labiis luteis; maculis dorſalibus albicantibus; marginibus nigris.

Habitat in Imperio Siam Aſiæ.

GENUS XXVII.

DIPSAS.

Caput latum plagioplateum, cordatum, grande, cataphractum, diſtinctiſſimum.

Truncus mox a capite multoties anguſtior, cathetoplateus, compreſſus, anceps, volubilis, utraque acie ſcutis majoribus transverſis. Cauda teres, undique imbricata.

CXCVI. Dipſas indica. *Seba I.* 43. 4. & 5.

DIAGN.

Capite albo, ruffoque vario; corpore dilute ſpadiceo; lateribus faſciis ſubcinereis, albo-punctatis; pone abdomen pupilla nivea terminatis.

Habitat in Zeylona.

GENUS XXVIII.

NAJA.

Caput cataphractum, ore retuſo. Thorax, ſive anterior pars trunci inter ſcutum 6 & 12 abdominis cute, dum iraſcitur, in orbem planum, ſeu alam ſpithamæ longitudine extenſili, non abſimili alis ſciuri volitantis, dum ſaltus facit. Medio inter hanc dilatationem loco oculis antrorſum verſis intuenti ſæpe figura aliqua, ut plurimum uncinuli, quales feminæ in veſtibus habent, ☊ colore albo diaphano, margine nigro pingitur.

CXCVII.

CXCVII. Naja luteſcens. *Seba I.* 44. 1.

DIAGN.
Perſpicillo faciem hominis referente; corpore cinereo-luteo æquali.

Habitat in India orientali.

CXCVIII. Naja faſciata. *Seba II.* 89. 3.

DIAGN.
Perſpicillo uncinulum referente; corpore cinereo-luteo; faſciis fuſco-rubris, undique cincto, quarta latiori.

Habitat in India.

CXCIX. Naja braſilienſis. *Seba II.* 89. 4.

DIAGN.
Perſpicillo ſubcordiformi, maculis quatuor atris inſcripto; corpore ruffo; faſciis ruffo-fuſcis diſtantibus.

Habitat in Braſilia.

CC. Naja ſiamenſis. *Seba II* 89. 1. & 2.

DIAGN.
Perſpicillo uncinulum referente; corpore cinereo-gryſeo; ſummo dorſo ruffo.

Habitat in Imperio Siam, & Inſulis Ternateis.

CCI. Naja maculata. *Seba II.* 90. 2.

DIAGN.
Perſpicillo uncinulum referente; corpore luteo ruffo; ſingulis ſquammis alba macula.

Habitat in India.

CCII.

CCII. Naja non Naja. *Seba II.* 90. 1.

DIAGN.

Perſpicillo nullo; corpore luteo-ruffo; ſingulis ſquammis alba macula.

Habitat in India.

GENUS XXIX.

CAUDISONA.

Nota eſſentialis eſt crepitaculum ſonorum caudæ, apex nempe ſeu ſimplex corneus, ſeu (quod in plerisque) articulatus; articuli membranacei oſſeæ duritiei, aridi, ſonori, quoad figuram urceolati, & undulati; cavi, annulis inferioribus incluſis cum ſumma laxitate, ut eo melius ad latera allidi poſſint (*).

Opti-

(*) Simile conſervat Illuſtriſſimus Comes Franciſcus Annibal Turrianus in inſtructiſſimo ſuo theſauro pro exemplo. Caudiſonæ, niſi laceſſitæ, ſponte in hominem non irruunt. Symptomata: dolor acutiſſimus; reſpiratio difficilis; tuſſis; ſputum cruentum; vulneris ſphacelus, tumor, colliquatio in ſaniem. Sub Syrio periculum majus. Mors intra minuta quinque aut decem pro diverſitate partis læſæ. Ante ictum vindictam denunciat ſono crepitaculi, quo ita terrefacit hominem, ut nec fugere quidem præ terrore poſſit. Multa tentata non juverunt, uti dictamnus. vid. *Transact. phil.* Antidotum verum Polygala Senega, Americanis primo ſecretum, ſed inveſtigatum, & promulgatum demum a Tennentio: attamen curatis omni anno dolor redit periodicus.

Optime ab hoc crepitaculo character desumitur, quia serpens nunquam mordet, nisi moto prius crepitaculo hominem edoctura de periculo. Succrescunt articuli singulis fere annis: hinc numerus incertus ætatem designans, nec speciem. Caput accedit ad genus colubrinum, sed gibbum.

CCIII. Caudisona terrifica. *Seba II.* 95. 1.

DIAGN.

Corpore carinis squammarum exasperato (mari) cinereo flavo, (feminæ) spadiceo; maculis dorsi rhomboidalibus magnis, ex nigro fuscis, albo limbo cinctis; apicibus subcontiguis, per summum dorsum, caudamque concatenatis.

Habitat in America infra gradum elev. 45.; *hodie cultura summa exstirpatur venenatissima.*

CCIV. Caudisona Duriſſus. *Catesby Tab. XLI.*

DIAGN.

Albo, flavoque varius; maculis rhombeis nigris, disco albis.

Habitat in America pone arbores, maxime sub truncis caducis, quibus tectæ funestæ sæpe sunt incautis, qui pedibus conculcando irritant in morsum.

Antidotum Solidago & Aristolochia Americana.

CCV.

CCV. Caudiſona Gronovii. *Muſ. n.* 45.

DIAGN.

Corpore & crepitaculo compreſſis cathetoplateis; crepitaculo corneo, utrinque ſinu longitudinali exarato, indiviſo.

Habitat in America.

CCVI. Caudiſona Dryinas. *Deſcript. Amœnit. Ac. I.* 297.

DIAGN.

Corpore exalbido; maculis flaveſcentibus paucis.

Habitat in America.

CCVII. Caudiſona orientalis. *Seba II.* 96. 1., & 2. 95. 3.

DIAGN.

Colore cinereo-luteo, in ruffum vergente, nigro fuſco maculato; ſquammis magnis raris, vix ſeſe contingentibus, laxiſſime adhærentibus.

Habitat in Zeylona.

GENUS XXX.

COLUBER.

Caput plagioplateum triangulare, poſtice diductum, depreſſum, lateribus compreſſum, hinc juxta maxillam ſuperiorem utrinque angulatum, antica pars oris, nares

nares & oculos comprehendens ſcutis cataphracta eſt, quarum tres, quæ oculos interjacent, maximæ ſunt; verum poſtica, & maxima capitis pars ſquammis imbricatis; maxilla poſtice utrinque protuberans. Truncus Natricis, ſeu Ceraſtis. (*)

CCVIII. Coluber ſtolatus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XXII. Fig.* 1.

DIAGN.

Capite cæruleſcente; dorſo lineis duabus albis longitudinalibus; faſciis obſoletis fuſcis.

Habitat in America.

CCIX. Coluber buccatus. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIX. fig.* 3.

DIAGN.

Albus, ſed capite triangulo ſupra nares, & duplici puncto verticis fuſcis; dorſo maculis geminatis latiſſimis, totam pene ſuperficiem occupantibus.

Habitat in Indiis.

CCX. Coluber ſibon. *Seba I.* 14. 4.

DIAGN.

Capite albo; corpore dilute luteo; maculis trans-

(*) Colubri venenati absque ulla injuria accepta ferociſſime irruunt in hominem.

transversis, in medio dorso lateſcentibus, ruffis ſubrubrisque diſtincto.

Habitat apud Hottentottos.

CCXI. Coluber elegantiſſimus. *Seba I.* 81. 9.

DIAGN.

Albus, ſed frons cruce rubra, maculis circumfuſa rubris pingitur; dorſum triplici ſerie ocellorum rubrorum intermedia tenuiſſima; latera ſerie ſolitaria macularum rubrarum.

CCXII. Coluber Javanus. *Seba I.* 10. 2.

DIAGN.

Albus, ſed macula fuſco-ruffa transverſa ante oculos, alba per oculos; ſyncipite utrinque tænia longitudinali, per anteriorem dorſi partem excurrente; media, poſticaque dorſi parte maculis rhomboidalibus diſco albicante, lateralibus minoribus, irregularibus, æquicoloribus; caudalibus denſiſſimis.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CCXIII. Coluber ignobilis. *Seba I.* 72. 6.

DIAGN.

Corpore cinereo flavo; maculis dorſalibus ſubrotundis, cohærentibus in tæniam articulatam utrinque ſerie punctorum, quæ ſibi opponuntur, at cum maculis tæniæ intermediæ alternant.

Habitat in America.

CCXIV.

CCXIV. Coluber cherſea. *Act. Stockh. an.* 1749. *Tab. VI.*

DIAGN.

Squammis carinatis; capite a narium limbo ad uſque oculos ſquammulis albis, fronte macula cordiformi, magna at dorſalibus rotundis ad nucham confluentibus, reliquis cohærentibus in tæniam continuam rectam; colore corporis ferrugineo, macularum atro; ſcutis abdominalibus latiſſimis.

Habitat in Coryletis, aliisque fruticoſis depreſſis Smolandiæ, Scaniæ, nec non in ipſo agro Upſalienſi, ubi a gnaris magis timetur, quam priorum uterque.

Antidotum hodie detectum non eſt: LINNÆUS in itinere Scanico occurrentem habuit feminam, ab hac vipera demorſam; obtulit ſtatim oleum olivarum in præſcripta contra Anglicam doſi. At infelix mulier rapta eſt! ergo oleo non fidendum in morſu hujus ſpeciei.

CCXV. Coluber nepa. *Seba I.* 19. 7.

DIAGN.

Corpore ruffo; dorſo tænia duplici fulminata, angulis ſeſe decuſſantibus.

Habitat in Africa.

CCXVI. Coluber berus. *Petiver. Muſ. pag.* 17. *n.* 103. *vid. Tab. II. fig.* 1.

DIAGN.

Corpore cinereo (feminæ), ex fuſco ruffo

(mari); tænia dorſali nigra fulminatâ, utrinque punctis alternis; cuique ſinui reſpondentibus, nigris.

Var. β. (*Seba II.* 9. 8.) maculis ſummi dorſi ſubrotundis, ſaturate fuſcis, demum ſubconfluentibus in tæniam undulatam interruptam, inæqualem, extimis caudæ transverſis, lateralibus oppoſitis.

γ. (*Seba II.* 36. 2.) capite variegato, poſtice latiſſimo; collo gracili; corpore ſubruffo; tænia fulminea ſaturate ſpadicea.

δ. (*Seba I.* 33. 5.) angulo ſingulo occipitis arcu maculam albam intercipiente, inſtar oculi majoris; tænia dorſi atro-ſpadicea, initio fulminata, verſus medium dorſi autem, & reliqua parte ex maculis rotundis cohærentibus conſtante.

ε. (*Seba II.* 59. 1.) macula capitis multipartita inſigniformi, tænia dorſi denſe fulminata, angulis obtuſis maculis lateralibus ſubcohærentibus, infimis lateribus ſerie punctorum in lineam digeſta.

Habitat α. vulgaris in Europa. In Sueciæ officinis pro vipera uſitatus ad theriacam.
β. Ex India orientali. vipera vera dicta.
γ. Ex Inſula S. Euſtachii.
δ. Ex India orientali.
ε. Ex Inſula Celebes.

CCXVII. Coluber vipera Anglorum. *Petiver. Muſ. pag.* 17. *n.* 104 *vid. Tab. IV. fig.* 1.

DIAGN.

DIAGN.

Corpore toto aterrimo immaculato; ſquammis lanceolatis, carina longitudinali inſcriptis, labiis punctis albis, nigrisve variatis.

Habitat in Europa paſſim, Angliæ officinis uſitatus pro vipera.

Antidotum repertum oleum olivarum ad libram ſem., & externa calida ejusdem inunctio. At in Auſtria fere veneno orba.

GENUS XXXI.

VIPERA.

Caput, truncus, habitusque colubri. Differt defectu ſcutorum in antica oris parte, ſed totum huic caput ſquammulis minutiſſimis imbricatur. Oculi in lateribus capitis ſubangulis ejusdem lateralibus ſiti, ſub ſcutello, ſeu limbo protractiori, qui ex iisdem angulis utrinque ſubrotundus educitur (*).

CCXVIII. Vipera Franciſci Redi. *Aldrov. ſerp.* 115. 116.

DIAGN.

Naſo inermi; corpore ſtriis transverſis, bre-

(*) Viperæ humiles vix unquam ſe erigunt, uti Colubri, Natrices, &c. manſuetiſſimæ, niſi multum, & diu vellicentur. Ita innoteſcit agyrtarum artificium impune tractandi viperas.

vibus, alternis, quadruplici serie longitudinali, intermediis antice confluentibus.

Habitat in littorali Austriaco, & Italico.

Obs. In plerisque officinis Italiæ Neapoli accersita adhibetur ad compositionem theriacæ (*); verum Romæ Aspis Cleopatræ ex Ægypto. Venenum ejusdem in succo folliculorum, hinc facile exhauribile. Prognosis bona, si vulnusculum cito & late gangrenescat. Antidotum a me & expertissimo Domino Collega WINTERL detectum gentiana, ☿ rius gummosus.

CCXIX. Vipera Mosis Charas. *Experiences de la Vipere. Tab. I. A. A. A.*

DIAGN.

Nasicornis; (**) corpore striis characteriformibus alternis sparsis; subtus Chalybea punctis flavis.

Obs. Hæc vipera officinarum Galliæ pestem in ira habet, hinc veneni inexhauribilis est; Antidotum detectum sal urinosus volatilis a CHARAS l. c.; idem cum oleo essentiali succini unitus a JUSSIEU *Acad. des Scienc.* 1747.; spiritus tartari fœtidus ab Abrahamo BOEK *in Act. Suec.* 1748.

Ha-

(*) Ipse ANDROMACHUS theriacæ inventor suas viperas in Italia venatus est, quemadmodum patet ex ejus carmine de theriaca.

(**) Officulo nempe supra nares instar cornu, pro parte cartilagineo, in ambitu musculis firmato.

Habitat in Delphinatu, in agro Lugdunenſi & Pictavienſi.

CCXX. Vipera Illyrica. *Aldrovand. ſerp.* 169. bene! præter dorſalem tæniam, quam non bene notavit.

DIAGN.

Naſicornis; dorſo catena macularum rhomboidearum obliquarum, angulis acutioribus confluentium.

Var. α. fuſca.

β. pallido-cæruleſcens.

Habitat in Illyriæ montoſis, maxime circa Caſtel de Duino. Inde omnes varietates translatæ in Muſeum Turrianum.

Hæc in officinis Germaniæ promiſcue cum Rediana ad theriacam adhibetur. Venenum theriacæ auſcultare fertur, ſed inſtituenda ſunt experimenta.

CCXXI. Vipera cæruleſcens.

DIAGN.

Corpore albido-cæruleſcente, maculis utrinque magnis ſubevanidis nebulato; tænia alba utrinque poſt oculum enata, quam ſubtus atra, ſupra alba lineola terminat; nucha tænia ferruginea brevi.

Habitat vulgaris in Martinica.

Hoſpitatur in theſauro Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CCXXII. Vipera maculata.

DIAGN.

Corpore cinereo, maculis margine fuſcis, diſco pallide luteis, occipitalibus binis triangularibus, dorſalibus elypticis triplici ſerie, media majori; capite compreſſo, lateribus albo, ſupra cinereo, linea utrinque ſubfuſca, ante nares prominulas concurrente.

Hoſpitatur in Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Turriani.

CCXXIII. Vipera bitis. *Seba II.* 16. 1.

DIAGN.

Colore cinereo-flavo, albo & ruffo variegato, transverſe fuſco-faſciatis; abdomine luteo, cui terminos utrinque ponit albarum minutiſſimarum ſquammularum ſeries.

Habitat in Braſilia.

CCXXIV. Vipera madarenſis. *Seba I.* 54. 2. *bona; excepto capite, quod Aſpidem potius refert.*

DIAGN.

Corpore lineis ſubluteis reticulato, areolis plumbeis.

CCXXV. Vipera acontia. *Seba II.* 64. 1.

DIAGN.

Corpore ſupra ruffo, cupreo, carinulis ſquammularum albicantibus; abdomine luteo, rubro maculato.

Ha-

Habitat in arboribus insulæ S. Crucis.

CCXXVI. Vipera atrox. *Mus. Ad. Fr. Tab. XXII. Fig. 2.*

DIAGN.

Corpore cinereo; fasciis albidis; squammarum carina elevata.

Habitat in Asia.

CCXXVII. Vipera cobra.

DIAGN.

Capite elongato, teretiusculo; corpore toto fusco, compresso; dorso carinato; squammis carinæ majoribus.

Hospitatur in Museo Turriano.

Obs. Dentes mobiles venenati in singulo latere, infra æque ac supra, bini; hinc vicina cobris, sed squammæ omnes planæ.

GENUS XXXII.

COBRA.

Caput squammis imbricatum. Oculi in superiori capitis parte siti. Squammæ corporis carinatæ, laxæ, squarrosæ, mobiles caducæ.

NB. Viso hoste squammas agitat, & stridulo motu hominem docet de periculo, ut Caudisona crepitaculo. Squammas caducas agitando excutit, hinc variegatio cor-

poris a ſquammis alibi denſis, alibi raris. Dentes mobiles venenati in ſingulo latere, infra æque ac ſupra, bini.

CCXXVIII. Cobra Clotho. *Seba II.* 93.

DIAGN.

Capite indiſtincto; corpore ſquammis deciduis magnis rotundis, denſis colorem fuſcum, raris vero flavum exhibentibus, vario; carina in gula macula nigra, tenuiter caudata, inſtar aciculæ.

Habitat in Zeylona & Cuba.

CCXXIX. Cobra Lacheſis. *Seba II.* 94. 2.

DIAGN.

Capite indiſtincto; corpore ſquammis deciduis magnis rotundis, margine albis, denſis nigricantem, raris vero cinereum colorem exhibentibus, vario; carinis immaculatis; faſcia nigra transverſa per oculos.

CCXXX. Cobra Atropos. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XIII. Fig.* 1.

DIAGN.

Capite cordato, gibbo, diſtincto; maculis atris 4 ſeu pluribus; ſquammis lanceolatis; colore cano; maculis fuſcis, magnis rotundis, albo margine cinctis, quadruplici ſerie ſparſis.

Habitat in America.

GE-

GENUS XXXIII.

ASPIS.

Caput ſquammis minimis imbricatum, gibbum ſecundum illud Lucani

Aſpida ſomniferam tumida cervice - -
Pharſal. 9.

oculis ſuperne ſitis. Corpus nitidum ſquammis planis appreſſis, nec carinatis.

CCXXXI. Aſpis Cleopatræ. *Deſcript. Haſſelquiiſt. Iter in palæſtinam.* 314.

DIAGN.

Capite brevi, inter oculos depreſſo, poſtice utrinque gibbo; corpore ex ferrugineo albido, maculis ferrugineis conſperſo; caudæ extremo faſciis tribus nigreſcentibus cincto.

Habitat in Ægypto, cæde noviſſimæ Ægypti Reginæ celebris; inde quotannis accerſita Romam pro confectione theriacæ; jam LUCANI *temporibus.*

- - *Niloque tenus metitur arenas.*
- - - - - - - - *Inde petuntur.*
- - - - *Fecimus aſpida merces.*
Pharſal. 9.

CCXXXII. Aſpis Cobella. *Seba II.* 2. 5.

DIAGN.
Capite elongato; corpore ex cinereo ruffo; venis albis transverſis.

Habitat in America.

CCXXXIII. Aſpis variegata. *Seba II.* 2. 8.

DIAGN.
Corpore ſupra ex ſpadiceo, gryſeo, & albo variegato; lateribus, & ſubtus luteo.

Habitat in America.

CCXXXIV. Aſpis inteſtinalis. *Seba II.* 2. 7.

DIAGN.
Corpore æquali tenui; linea longitudinali dorſi, & laterum; dorſali ante oculos bifurcata.

Habitat in Africa.

GENUS XXXIV.
CONSTRICTOR.

Caput ſquammulis minimis compactis lævigatiſſimum. Frons eminens, medio ſulco diviſo. Oculi ſpecioſi. Orbitæ frontis prominentia fornicata. Roſtrum contractum. Naribus junctis productis ovatis.

Adeo-

Adeoque caput vere canis venatici. Cauda breviſſima obtuſa.

Caput ingens, par vincendis tauris cervis &c.; irruit, conſtringendo ſuffocat, ſaliva oblita deglutit. Fauces integrum cervum capiunt, ut cornua, adhuc ex ore proſtantia, viderint Peregrinatores.

CCXXXV. Conſtrictor formoſiſſimus. *Seba I.* 36. 5. & *Linæi Amœnit. I.* 17. 3.

DIAGN.

Maculis magnis flaveſcentibus, unicoloribus, oblongis, antice poſticeque emarginatis, per intervalla ſummum dorſum exornantibus, utrinque linea longitudinali recta coercitis; lateribus, caudaque tota ocellis, pupilla multiplici ſæpe, maculisque eleganter variegatis.

Feminæ (*Seba II.* 101.) ſeries oculorum rhomboidalium in utroque latere, qui mediæ tæniæ non raro committuntur. Cauda longior, verſus apicem ſenſim magis aurantiaca, ac demum croceo-rubra.

Habitat in America.

CCXXXVI. Conſtrictor rex ſerpentum. *Seba II.* 99. 1.

DIAGN.

Maculis flaveſcentibus punctatis, ſummum dorſum exornantibus, quæ inter tænias rubras

bras alterne dehiſcentes, confluentesque in intervallis ſingulis intercipiuntur, & in unam catenam junguntur. Maculis triangularibus utrinque ad articulos poſitis. Lateribus, caudaque luteis; ocellis transverſis fuſcis, pupillis luteis.

Mari (*Seba II.* 104.) corpus maculæ, ac tæniæ omnes incredibili colorum diverſitate variegata ſunt.

Habitat in Zeylona, Madagascar, Java.

CCXXXVII. Conſtrictor auſpex. *Seba I.* 53. 1.

Diagn.

Maculis oblongis angulatis, ex fuſco-nigricantibus, concatenatis, ſummum dorſum exornantibus; ſingulis inſulam, ex flavo albeſcentem, in medio ſui relinquentibus; lateribus maculis ſimilibus, at rotundioribus, & punctis nigris circumvallatis. Cauda iiſdem; ſed pupillarum demum vix veſtigio.

Habitat in America.

Incolæ omnia, præſertim itinera, hujus ſerpentis auſpicio ſuſcipiunt.

CCXXXVIII. Conſtrictor diviniloquus. *Seba II.* 100. 1.

Diagn.

Candicans, teſſellatus; ſingula ſquamma puncto nigro; maculis nigris inæqualibus, irregu-

irregularibus, transverſalibus, in medio dorſo confluentibus.

Habitat in Mexico & Peru; ſtridula voce conventus celebrans, quos incolæ pro conciliis divinis habent, quibus de rebus humanis decernunt: nutui cæterum hujus ſerpentis attenti, pacem & bella hujus ejusdem imperio ineunt.

CCXXXIX. Conſtrictor orophias.

DIAGN.
Fuſcus.

Hoſpitatur in Muſeo cel. de Geer.

GENUS XXXV.

LATICAUDA.

Cauda compreſſa anceps ſenſim lateſcens, nec attenuata, utrinque triſulcata.

CCXL. Laticauda ſcutata. *Muſ. Ad. Fr. Tab. XVI. fig.* 1.

DIAGN.
Cauda obtuſa, fine rotundato.

Habitat in Indiis.

CCXLI.

CCXLI. Laticauda imbricata.

DIAGN.

Cauda acuta lanceolata.

Habitat Surinami; hoſpitatur in Muſeo regio Suecico.

HISTORIA REPTILIUM AUSTRIACORUM,

CONTINENS

SINGULÆ SPECIEI DIFFERENTIAM,
DESCRIPTIONEM
ET
INSTITUTA CIRCA VENENA
EXPERIMENTA.

BUFO VIRIDIS

Tab. I. fig. 1.

DIAGN.

Maculæ virides confluentes: verrucis macularum concoloribus, intervallorum rubris, intermediis bicoloribus.

DESCRIPTIO.

Cutis glutine squalliens, in fundo lurido-albicans, supra maximam partem maculosa est.

Ma-

Maculæ virides, ſubpunctatæ, in ambitu linea nigra cinctæ, nonnunquam diſcretæ, ſed paſſim confluentes, rudem ideam lacuum in mappa geographica indicatarum exhibent. Verrucæ totum corpus (excepto extimo ore & extremitatibus pedum) obſident; in lateribus grandiores & confertiores; in nucha & abdomine minores, ſed creberrimæ ſunt. Abdominales (*) communem pallido-luridum abdominis colorem habent; dorſales vero, prout in maculis, vel extra illas ſitæ ſunt, alium: & in maculis quidem communi cum eisdem colore virideſcunt; at in intervallis rubent. Itaque quoties verruca inter maculam, & maculis interjectum intervallum, intermedia ambigit, qua parte maculam intrat, virideſcit; rubet vero eadem, qua parte extra maculæ fines ponitur. In pedibus demum ſenſim deprimuntur illi verrucarum aggeres, & quo magis ad extrema crurum acceditur, magis magisque in rubras maculas explanantur. Digiti pedum poſticorum membrana vix manifeſta juncti, quam tamen figura expreſſam exhibet. Oculi aurei ſunt & prominentes, palpebra ſemiglobosa, tecta macula ovata. Inceſſus pedibus anticis introrſum verſis.

VA-

(*) Abdominalia cæterum dicuntur, quæ infra diaphragma locantur. Verum Naturaliſtæ ſub hac voce pronam corporis partem, quam animal in ſitu naturali terræ obvertit, intelligunt. Comprehenditur ergo ſub hac thoracis ac abdominis inferior ſuperficies; uti contra dorſi appellatio in his omne id comprehendit, quod animal in naturali ſitu oculis noſtris monſtrat.

VARIETAS.

Unica in ſexu eſt: uni nempe maculæ magis læte virides, verrucæque pulchrius rubentes ſunt; alteri vero omnia ſubfuſco vitiantur colore.

HABITATIO.

Inter fiſſuras, ſeu cavernas murorum obſcuras, in quibus oculis aureo-lucentibus a longinquo introſpiciendo diſtinguuntur. Evocantur inde immiſſa, ac continuo agitata virgula.

MORES.

Reſpirat, alternatim inflando gulam; irato oculi fulminant electrici; cutis ſquallet; odor ſpargitur ambroſiacus, caput tentans, ſolani nigri fœtorem aliquantum referens, ſed multo intenſior, & tota replens cubilia.

EXPERIMENTUM I.

Die 16. & ſeq. Auguſti.

Hunc bufonem juveni columbæ, ſub alis necdum plumas habenti, valde affricui, ut eadem multum ruberet, & glutine bufonis manifeſte inficeretur.

Idem feci cum juvene cane, cui necdum pubuerat abdomen; valide hunc bufonem cuti nudæ affricando. Obſervavimus bufonem inter hæc multum glutinis

exſudare, & totum late cubiculum odore ſuo ambroſiaco replere.

Altera tamen die inſpecta columba nihil mutationis exhibuit, etſi pridie valde rubuerit ex affrictu.

Canis vero in loco, cui bufo pridie applicatus eſt, nunc jam crebras exhibuit puſtulas, quæ ſecundo jam die pure turgebant, & latis demum inter ſe plagis, pure ſub cute proſerpente, confluebant.

EXPERIMENTUM II.

Die 17. Auguſti.

Ut repetito experimento magis conſtaret, an hic bufo columbis innocuus ſit, inflixi longitudinale vulnus femori ejusdem columbæ, quæ pridie experimentum ſuſtinuerat; eique diducto, eundem, qua parte maxime verrucoſus eſt, per notabile tempus applicui bufonem.

Verumtamen vulnus bonæ notæ manſit, & cito conſolidatum eſt.

EXPERIMENTUM III.

Die 16. & ſeq. Auguſti.

In primo experimento, cum bufonum experimenta nos nondum ſatis cautos

tos reddiderant, imprævisо casu factum, ut adstanti mulieri urinam in faciem & oculos ejicularetur, ut defluereт; nullum vero hæc exinde cutis vitium contraxit.

Sequenti igitur die, cum jam ex priori experimento nobis innotuisset, canes solo contactu hujus bufonis fieri pustulosos, accepimus pariter talem bufonem (habueram enim plures) quem ita obvolutum, ut sola ani promineret papilla, quo nihil præter solam urinam canem contingeret; & ita fuimus felices, ut canis plurimum commingeretur, urinaque supra abdomen in subjectam tabulam defluereт. Canis vero mansit incolumis, nec apparuit posthac hujus rei vestigium.

EXPERIMENTUM IV.

Die 25. Augusti.

Acceperam novos tales bufones: decreveramus autem jam ante experiri, quid fieret, si hi ab aliis reptilibus commorderentur. Alueram autem copiosissimos sepes, qui circa Viennam magno numero, & diversissimis variantes speciebus reperiuntur; applicui horum plures ad verrucas turpissimæ nostræ bestiæ: qui ex iis illico aperuerunt os, commorderunt bufonem acriter, nec postea facile dimiserunt;

qui vero cunctando antea gravem ejus odorem perceperunt, posthac noluerunt os aperire.

Murales, qui eundem vix extremis labiis contigerant, vix non e vestigio languere cœperunt, respiratione sublimi & laboriosa reddita, summaque, quantum ex signis conjici potuit, anxietate nata; post pauca vero minuta convulsi perierunt ex ordine omnes.

Idem morsus fatalis fuit rubris, & cæruleſcentibus; nonnullis statim ab ipso morsu cœperant convulsiones, aliis paulo post; reliquo corpore jam mortuo viso, adhuc miro spectaculo convellebatur cauda.

Tragœdiarum finem fecit seps viridis: verum tamen non nisi post decem & plures morsus; symptomata eadem, quæ priorum, erant.

Ita reliquum fecimus acervum cadaverum: omnibus os viscido humore sordidum, pedes postrorsum extensi, rigidi inventi sunt.

EXPERIMENTUM V.

Eadem Die.

Ultimo etiam alacri paro hunc eundem bufonem obtuli, qui statim avidissime

me acuto ſuo roſtro verrucas ipſas impetere cœpit. Singulo ictu rejiciebat in nos, & quaquaverſum particulam albam, præter quam etiam ipſe quidquam deglutire videbatur: non facile pepercit, aut dimiſit bufonem. Poſt experimentum tamen bufo nullum viſibile vulnus habuit; neque parus ipſe exinde læſus eſſe videbatur, ſed ambo ſani ſupervixerunt.

EXPERIMENTUM VI.

Die eadem.

Saucios ita, ac plurimo glutine ſqualentes bufones partim lacti, partim aquæ commiſimus, & per unam alteramve horam reliquimus. Lac, cui immerſus bufo erat, feli ac cani in os infundebatur: attamen nulla ſequuta ſenſibili mutatione, quin alacres inter ſe luſerunt, & manducarunt, ut ante ſolebant. Aqua vero ipſa, in qua bufo aliquamdiu detinebatur, cum cani offerretur, ille quidem tantillum perguſtavit, verum cito & cum horrore ac tremore totius corporis aufugit. Adeoque cani in os infuſa eſt: quo facto, primo maximæ anxietatis ſigna edens, paulo poſt vomuit, ac ſi emeticum ſumpſiſſet. Columbæ tamen eandem aquam in ingluvie conſervarunt, neque revomuerunt, nec alio modo inde læſæ ſunt.

EXPERIMENTUM VII.

Die 28. Septembris.

Conſervavimus adhuc ſemper bufones noſtros, qui ollæ incluſi pauca aqua & polygono aviculari egregie ſaginari videbantur. Juſſi jam majorem illorum in fruſta diſcindi, ut partitim cani ingererentur; curavi autem adipe inungi ad decipiendos canes, ut eo lubentius deglutirent. Qui tantillum adipis deglutiverant, ſtatim nauſeabant, & continuo vomiturie-bant, nec poterant amplius adigi, ut vel minimum deglutirent: adeoque experimentum pro hac vice non ſucceſſerat ad vota.

EXPERIMENTUM VIII.

Die 6. Octobris.

Novi mihi apportabantur bufones: eorum itaque ſtatim unum partiri, ac per domeſticos meos famelico cani vi ingeri juſſi; ille autem e veſtigio revomebat, quod ei ingeſtum eſt, & longo poſt tempore non ceſſavit vomere: reddebat ita ſpumam, ſuccum gaſtricum, & tenacem pituitam, longis filis ex ore pendentem, cum incredibilibus & diuturnis thoracis & abdominis convulſio-

ſionibus, & evidenti quaſi totius corporis emaciatione, qui dudum antea bufonem flammeum integrum deglutiverat, & abſque ulla nauſea in ventriculo conſervaverat.

COROLLARIUM.

Ex his experimentis videbatur poſſe concludi

I. Acrimoniam hujus bufonis columbis, avibusque innoxiam; canibus vero externe rubefacientis aut eſcharotici inſtar, interne pro emetico eſſe.

II. Hanc tamen acrimoniam lacte obvolvi, & cicurari.

III. Verum tamen venenum dici haud poſſe, cum ſepes etiam ex aliis levioribus, præcipue narcoticis, acrimoniis occiduntur; uti ſæpe miro convulſionum ſpectaculo a tabaco in os inſperſo delectati fuimus.

IV. Eſſe tamen genus ſepium lapidem quaſi lydium acrimoniarum.

BUFO CALAMITA

(der Röhrling) *Rœſel. Ran. Tab. XXIV.*

DIAGN.

Dorſum coloris olivacei, puſtulis ſubrotundis fuſcis concinno ordine digeſtis, media linea ſulphurea diviſum; latera tænia (*) inæquali lucida, ex rubro flaveſcente.

(*) Dicitur macula longitudinalis aliqua cum latitudine quod vero longum nec latum, eſt linea.

DESCRIPTIO

Corpus contractius, in dorso coloris est olivacei, variis inde eminentibus fuscisque pustulis, concinno tamen ordine digestis varium. Medium dorsum linea sulphurei coloris dividit, ab extremo ore incepta. Ab oculo ad crus posterius tænia inæqualis latitudinis lucide ex rubro flavescens varie undulata atque denticulata extenditur, quæ inferiora versus magis saturata aliquot majoribus rubentibusque pustulis, nullum ordinem servantibus, obsita est. Sub hac utrinque variæ cernuntur maculæ, olivæ ad instar, virentes, quæ autem versus abdomen progrediendo, numero & magnitudine decrescunt, ac sensim magis, magisque dilutæ evadunt. Infimum denique abdomen ex lucide cinereo in olivæ nonnihil vergit colorem. Regionem aurium pallide rubellæ obsident pustulæ. Angulum vero oris versus aliæ rursus majores conspiciuntur pustulæ, lucide carnei coloris, ea ratione coacervatæ, ut cohærere videantur. Oculi huic minus rubent, quin potius circa pupillam pallent, atque ex lucido-viridi in cineritium vergunt. Pupilla sole irradiata contrahitur in rimam horizontalem. Primarius quatuor crurum ad extremum usque articulum color idem fere est, qui abdominis; sed variant eundem plurimæ furvo olivarum colore tinctæ maculæ, transversim positæ, diversæ formæ ac magnitudinis, quales circa os quoque apparent. Extremi digitorum apices in aliis fusci sunt, in aliis nigri fere,

quo-

quorum tenus corneam habent duritiem ad ſcandendum præaptam. In anticis præterea cruribus adſunt in ipſa vola duo ungues ſpurii, qui vera oſſa ſunt, per ligamenta reliquis juncta. Poſtici pedes membrana illa, quibus buſones alii pro natatione inſtruuntur, penitus carent. Circa generationis tempus ex pollice maris circumquaque excreſcit nova dura aſpera ac nigra cutis, in eum finem data, ut firmius hic comprehendere ſuam valeat femellam.

HABITATIO

De die in variis latebris, in rimis terræ, in cavis murorum, ac foraminibus, quale dum vident, murum perpendicularem ultra trium pedum altitudinem norunt conſcendere, & tum ſæpe deni, aut bis deni in tali muri hiatu deprehenduntur.

MORES.

Murium inſtar currit, etſi ſaltare utcunque poſſit; emenſo itinere trium quatuorve pedum alterne quieſcit. Cum exagitatur, humorem per cutim dimittit, cum fœtore pulverem pyrium accenſum referente, ſed graviorem, & intolerabilem; quod nunquam facit, niſi contra adverſarium. Coitum celebrat Junio menſe, exacto jam tertio ætatis anno; quam in rem, qui eam agunt ætatem, ſe congregant ad ripas paludum undoſas, & arundineto circumdatas, multoque cum clamore, qui fortis & ſingularis eſt, amoribus ſuis indulgent; mas quidem inter hæc gulam valide inflat, ita tamen, ut

faccus ad os uſque nuſquam pertingat, nec globum efficiat. Idem in coitu feminam circa thoracem comprehendit, ac palmas pectori admovet.

NB. A ciconia non devorari, quam ob rem venenatum videri notavit diligentiſſimus ROESELIUS pag. 113.

BUFO FUSCUS.

Rœſel. XVIII. XV.

DIAGN.

Cutis lævis; maculis fuſcis confluentibus nigro-lemniſcatis; dorſalibus maximis, media linea diviſis; intervallis albicantibus, maculis candidis, at in lateribus & prope artuum articulos eleganter miniatis.

DESCRIPTIO.

Cutis huic lævis, nec verrucoſa, maculis fuſcis latisque obſita eſt, quæ irregulariter inter ſe confluunt. Harum latiſſimæ & ſaturatiores in dorſo ſunt, quas media per dorſum dilutior tæniola disjungit. Laterales pallidiores ſunt, & magnitudine decreſcunt. Hinc tale dorſum ſimile eſt confertis majoribus inſulis, quæ plurimas minores habent circumfuſas; margo namque ſingulæ ſaturatiore colore cingitur, & per medium plurimas minores ſubnigras, centro vero dilutiores maculas, temere ſparſas, habet, quas inſularum quaſi oppida dicas. Similiter & intervalla candidiori cinguntur margine, & hinc inde albicantes maculas interſper-

ſperſas habent, quæ in lateribus, & prope artuum articulos eleganter ſubinde miniatæ ſunt. Oculi pallide flavent. Pupilla, dum contrahitur, non transverſam, ſed perpendicularem rimam facit. Pedibus poſticis digiti tota ſua fere longitudine junguntur; plantæ vero iiſdem ungue ſpurio corneæ duritiei inſtruuntur, quo videntur inſtar calcanei uti.

VARIETATES.

Nonniſi ſexus diſcrimina ſunt: mari abdomen unicolor, albo-flaveſcens. Feminæ cinereum, cinereis ſaturatioribus maculis varium.

HABITATIO.

In paludibus, rariſſime hoſpitantur in continente.

VICTUS.

Ex inſectis, vermibus.

MORES.

Iratus fœtorem ſpargit, quaſi allii contuſi, lachrymas etiam ex oculis elicientem, aliquid tetri ſimul de pulvere pyrio accenſo participantem. Mas coaxando parum gratiæ habet; femina ſolum grunit. Copulantur primo vere; mas pedibus anticis feminam circa lumbos prope pedes poſticos conſtringit, & fortiter per multos dies retinet. Ita ſimul ad ſuperficiem aquæ enatant, qui aliis anni temporibus vix, aut ne vix ſe videndos præbent; ſed

etiam

etiam hac vice capite tantum oculorum tenus emerſo, &, ſi quempiam vel e longinquo conſpiciant, ſubito ſe ſubducentes. Sic efficitur, ut femina tandem per vices expellat in longa farcimina compactum gluten, ovula continens, inteſtini inſtar, pellucido muco, plurimisque nigris granis repleto, quod æquat ſubinde duos longitudine pedes. Mas, dum feminam hæc moliri videt, appreſſis pedibus poſticis arcte comprehendit feminæ anum, quaſi obſtetricaturus, quo impedire conatur, ne quid feminæ elabatur ano, quod non ſua conſperſum ſit genitura; quod & poſt ſingulos ejuſdem nixus expedite facit, nec ante remoratum ſperma dimittit. Gyrini pedibus nondum evolutis; phytophagi branchiis inſtruuntur, quæ ramoſis ſuperne teguntur fimbriis, quibus aquam ore hauſtam dimittunt.

Ciconia hos reſpuit, ergo veneni ſuſpecti videntur ROESELIO pag. 88 113.

Hæc experimenta reiterandi tanto major urget neceſſitas, quo magis jam Aetius ejus proclamavit venenum: *ad lædendum*, inquit, *manifeſte inſurgit, & ſaltibus interpoſitis ſpatium contrahit. Retro quidem morſum infligens, verum anhelitum conſuevit vehementer virulentum inducere, adeo, ut etiamſi anhelitu tantum contingat, eos, qui prope ſunt, lædat. Cæterum, qui ab eis læſi ſunt, his omne corpus intumeſcit, & diffunditur, ac cito omnino pereunt.* Addit

Vir

Vir cætera veraciſſimus CONRADUS GESNERUS: *vidi hæc ſymptomata in muliere, quæ periit ſumptis herbis, quibus iſte bufo venenum ſuum afflaverat.* de piſc. 949. Eſſe autem de hac ſpecie ſermonem, præter iconem oſtendunt hæc verba: *eſt autem rubeta ranæ ſimilis, colore fuſco, roſtro latiore, & magis rotundiore* &c. Appellandum ergo ad naturam ipſam, cum nobis fides veterum ſuſpecta ſit.

BUFO VULGARIS.

Icon. Rœſel. Tab. XX. ſed nimium vivis coloribus vitiata.

DIAGN.

Cinereo-plumbeus, turgens, tuberculis rubellis exaſperatus; ſupra regionem aurium utrinque prominentia mollis reniformis.

DESCRIPTIO.

Corpus totum inflatum, turgens, æquale, verrucoſum. Verrucæ in dorſo maximæ, nec non in ſuris: in lateribus deſcendendo ſenſim magnitudine & numero decreſcunt. Palpebræ utrique tumor farciminis inſtar incumbit, quo multum protuberant. At evidentior eſt prominentia oblongo-reniformis, mollis, poris pertuſa, quæ poſt ſingulum oculum ſupra aurium regionem utrinque enaſcitur. Oculi micant pulcherrimo rutilo colore, qualem cuprum exhibet cum auro fuſum. Iris huic diurno tempore ad horizontem diviſa eſt. Pedes

poſtici

poſtici natatorii extrorſum quinquedigitati; palma vero introrſum duplici notata tuberculo flavo, quaſi rudimentis digitorum, quibus videntur pro calcaneo uti. In anticis vero pedibus, digiti introrſum verſi, extrorſum tubercula. Color pro anni tempore, pro ætate animalis, aliisque circumſtantiis multum variare videtur: verno tempore, cum e caveis, in quibus latuere, prodeunt, ſpurcæ ſunt, ac fuſcæ; poſtea vero, cum cutim muci inſtar ſemel iterumve exuere, nunc olivæ inſtar virent, nunc nigreſcunt, nunc ex rubro vel flavo fuſceſcunt.

Nonnullæ maculas exhibent, plures, pauciores; majores, minoresve, nigras æque ac ex fuſco rubentes, nullo ordine. Bina vero colli tubera ut plurimum ex rubro fuſca ſunt. In meis tamen, quos nunc extremo in autumno collectos ante oculos habeo, ſuperficies ſuperior plumbea, verrucis magnis, minimisve abſque ordine confuſis obſita; inferior ſubcinerea cum maculis obſoletiſſime cinereis eſt: verrucæ tamen ad anum aliquantum majores videntur, & rubræ ſunt; in dorſo ſolum ſubrubellæ; at ſubtus demum plane expalleſcentes. Præterea etiam nec maculæ in hac, nec vivus quiscunque conſpicitur color. Aures etiam nullas valeo detegere, etſi meatum ſub tuberculo, anteriora ſpectante, reclinato detexerit, & icone indicaverit claſſicus in hiſce auctor ROESELIUS A ROSENHOF. Eſt præterea adhuc pro diverſo ſexu diſcrimen: mari nempe abdomen magis

magis unicolor cinereum eſt, quod idem feminæ plurimis ſaturatioris coloris maculis diſtinctum habetur. Mari inſuper jam ad coitum apto (circa annum nempe ætatis quartum) pollici & primo digito (in hac vero ſpecie minime tumidis) circumnaſcitur cutis illa aſpera. Primo tunc vere, ubicunque feminam, operi aptam, ſive in continente ſit, obviam habet, eam a poſtica parte circa thoracem amplexatur, palmis ſub axillis femellæ intropreſſis. Ita juncti proximas petunt aquas: mare inter hæc turpiſſimum illum, notumque paludum ululatum edente; femina gruniente. Cum eo jam ventum eſt, ut partum hæc moliatur, mas ita tendit corpus ſuum, ut anus ſuus ano feminæ contiguus ſit; ſimul & pedes tremulo motu ita agitat, ac ſi ſubito & violenter femellæ ova eſſet protracturus, quod tamen minime facit, ſed ea tantum in globum congerit, quo ea melius poſſit genitura ſua, identidem profluente, perfundere. Aliquamdiu opere defuncti requieſcunt; tunc duplex linearis tænia, ex glutine conſtans, in quarum utraque alterno ſitu nigra graniformia ovula ponuntur, ex ano femellæ pendens conſpicitur. Reiterant poſthac novies circiter rem veneream, donec totæ ovulorum tæniæ expulſæ, ac fœcundatæ ſint. Gyrini inde nati phytophagi, branchiis appendiculis ramoſis tectis: cum primum pedes excreſcunt zoophagi.

HABITATIO.

In umbrosis, sepibus humidis, hortorum ambulacris, ubi saltu obliquo non raro terre-facit; sæpe in cellas vinarias per fenestras desilit, subterranea humida maxime quærens. Vere ac media æstate ut plurimum in paludibus occurrit: hybernatio in lutosis.

NB. ROESELIUS plures uno manu tractavit, incidit, examinavit, aerem tubuli ope in rimam laryngis inflavit, succo lacteo, ex tuberibus capitis promanante, manus sibi conspurcavit, nullo unquam percepto incommodo.

BUFO OBSTETRICANS.

Icon aut descriptio nulla.

Bufo terrestris minor.

Hist. de l'Acad. des Scienc. 1741.

Vesperi æstivo tempore D. DEMOURS ambulabat in horto regio, in quo vidit coitum hujus bufonis cum femella sua: vidit hunc peragi amplexione tergi thoracis femellæ, palmis vero ad latera insertis, nec ob brevitatem ad pectus pertingentibus. Ita exspectans vidit prodire ovula oblonga, solitaria, theca membranacea forti tecta, quorum unum alteri per filum valde forte nexum erat, & formam veluti rosarii exhibebant. Requirebantur summæ vires, ut femella primum ovulum protruderet; hoc vero facto jam mari reliquit totam reliquam pro-

protrahendæ catenæ curam. Id vero animal, cætera ſtupidum, cum mira dexteritate perfecit: primum nempe ovulum duobus mediis digitis plantæ dextræ apprehendit, & elongando illud crus tendit, femella manente immobili. Paulo poſt iisdem digitis plantæ ſiniſtræ eandem comprehendit paulo jam inferius, nec in hoc negotio ſe præſentia obſervatoris paſſus eſt retardari; & hac ratione trahendo hac & illa alternatim planta non longe poſt ſuum abſolvit obſtetricandi officium.

Ex paucis his notis videant curioſi, quænam ſit ſpecies? Videant, an eadem veneni ſit rea, ſeu non; cui datur hæc invenire animalia, forte in noſtris etiam non defutura terris?

BUFO IGNEUS (Feuerkröte).

Rœſel. Tab. XXII.

DIAGN.

Supra terreo-olivaceus, maculis nigris; infra albido-cæruleſcens, punctatus maculis læte miniatis.

DESCRIPTIO.

Statura huic minor, quam omnibus aliis bufonibus, ipſaque fere Hyla viridi; neque ætate majorem adipiſcitur. Corpus planiuſculum, ſupra terreo-nigrum, oblique inſpectum obſoletiſſime olivaceum, cum maculis obſolete nigricantibus, utrinque ſubæqualibus. Subtus

non ſolum per omnem trunci ſuperficiem, ſed & gulam, quatuor crura, pedumve plantas elegantiſſime picta : fundus nempe, ſeu macularum intervalla ex candido cæruleſcunt, maxime ſaturate circa anum; per hunc ſparguntur maculæ elegantiſſime miniatæ, inſularum, ſeu mapparum geographicarum comparatione inter ſe confluentes. Verrucæ præterea exiguæ utramque occupant ſuperficiem: dorſales concolores; abdominales contra albæ; albiſſimæ & planiſſimæ ad gulam; in ventre elatiores. Omnibus his punctum nigricans veluti centrum inſcriptum eſt, maxime in abdomine, femoribus, ano, ſupra & infra. Pedes poſtici per omnem digitorum longitudinem palmati ſunt. Pupilla in obſcuro orbicularis; eadem in aprico miro & novo ſpectaculo perfecte triangularis ſit, aureo cincta limbo. At reliquus oculus fuſcus magis quam flavus eſt. Copulari incipiunt Aprili & Majo, ſed parum hæc copulatio durat, nec niſi mera ſunt præludia. Fortius demum menſe Junio cohærent, ubi poſt plures dies femina per vices ova ſua enititur, quæ maritus admoto ano ſingulis, quos a femina fieri obſervat, nixibus ſua conſpergit genitura. Ova congenerum majora ſunt, etſi ipſa parens minima. Gyrinus facile noſcitur, qui ſemiadultus cauda, multis transverſis validis muſculis, & membrana ſuccingente venuloſa, ac fere reticulata, differt. Differentia aliqua, quod uni dorſum ſubcinereum, alteri magis nigricans ſit, ſexum videtur inter eſſe.

HA-

HABITATIO.

In paludibus noſtris Danubialibus ingenti in copia: autumno omnes viæ ſcatent eundo in Nusdorff.

MORES.

Si propius quidquam accedat, nec tamen fugiendi detur occaſio, protinus ad terram ſeſe applicat, ut tutius lateat. E littore ſaltu facto ſe ſubducunt in aquam, uti Ranæ genus. Aquam inficiunt muco, quo cutis ſquallet. Ubi vero eum tetigeris, opiſthotono quaſi correptus, ſeſe recurvat; ſi vexare pergas, irata fœtet odore tetro, ac inter crura poſtica ſpumam emittit, ſaponato ſimilem. Cæterum ſurdum, ſed citius iteratum, grunitum, & interdum ſimili ratione productum tonum, qui riſum fere referat, minusque ingratum, quam reliqui fundant bufones, nec non lenius acutiusque ſonantem edit. Sed nulla gulæ inflatio, nec globus inter hæc comparet. Peculiare habent, I. quod de die in littore apricentur, II. quod ova pariat acervatim, an ideo diſtinctum genus?

EXPERIMENTUM IX.

Die 28. Auguſti.

In mentem nobis venit, hunc primo aviculis exhibere, quæ ictibus ſuis prædicta ratione (*Exp. V.*) eum fere interfecerunt; nec tamen inde læſæ ſunt.

EXPERIMENTUM X.

Die eadem.

Iuveni columbæ ſquallens hic bufunculus ad latus implume applicabatur, & cum ala ibidem tamdiu detinebatur, donec eſſet mortuus. Obſervavimus columbam fuiſſe humore, quem hic ex poſtica parte emittere ſolet, conſpurcatam. Neque tamen columba exinde læſa eſt.

EXPERIMENTUM XI.

Die 19. ejusdem.

Integrum talem bufunculum, adipe illitum, vivum cani devorandum dedi; is vero inde non magis læſus eſt, quam ſi aliam carnem voraſſet. Servavi canem adhuc longo tempore in meo cubiculo, ne poſſet me inſcio revomere: verum nec nauſeavit quidem.

EXPERIMENTUM XII.

Die 28. ejusdem.

Curavi apportari novas ſepes, cum in *Exper. IV.* vidiſſem, hæc animalcula eſſe veros lapides lydios omnis veneni. Adhibui autem tres, ut hunc bufunculum demorderent: ſingula ſtatim a morſu ſummam

mam visa est pati debilitatem, & leipothymiam; ea debilitas ita est aucta, ut paulo post jam pro vere mortuis habuerimus. Verum altera die, cum vasculum, in quod credita cadavera conjeceram, aperui, omnes sanas, alacres, discurrentes inveni, unamque ex iis sanam nunc in longam hyemem adhuc conservo.

COROLLARIUM.

Ergo bufo hic minus pernicioſi, quam congeneres, in se habet; attamen aliquid narcotici videtur continere.

RANA ALPINA.

Descriptio & Fig. nulla.

DIAGN.

Quod atra tota.

HABITAT in declivibus Schneeberg. Visa haud raro botanicis nostratibus; at! hactenus nunquam descripta.

RANA CAMPANISONA.

Icon Gesner. pisc. 952. descript. ibid. pag. 809. n. 4. & 5.

DIAGN.

Cinereo lividus, vesiculis adspersus; dorso utrinque limbo tereti longitudinali a lateribus distincto; abdomine pallido; inguinibus rugosis.

VOX.

Boatus ſonum campanarum e longinquo perceptum imitatur. Audita circa Viennam, ſed ego vivam non obtinui.

RANA MUTA.

Icon Rœſel. Tab. II. III. I. (Rana temporaria Linnæi).

DIAGN.

Color ruffo-fuſcus; macula oblonga nigra inter oculos & pedes anteriores; crura fuſco-faſciata.

DESCRIPTIO.

Primum, quod ſub conſpectum cadit, eſt macula oblonga nigra, utrinque inter oculos & pedes anteriores, utrinque anguſtior; medio, qua latior, lineam emittit, quæ limbo prominulo aucta ad articulationem femoris excurrit. Color huic eſt ex ruffo fuſcus, at poſitis ſæpius (muci tenuis forma) exuviis, lucidior idem, magisque variegatus verſus mediam ætatem fit. Talem ROESELIUS in frontiſpicio operis ſui pinxit. Subtus albeſcit, & ætate provectiori variegatus evadit. Crura tota maculis fuſcis faſciata ſunt. Lingua emarginata, glutinoſa ad muſcas, quibus inſidiatur, illaqueandas. Tertio ætatis anno, verno tempore, cum nempe coitus inſtat, mari uterque pollex aſpera tegitur cute, qua firmius retinet, itidemque magis in voluptatem exſtimulat femellam. Tum temporis ſexus diſtingui primum poteſt, non tantum

tum cute ſcabra pollicis, qualis ſoli mari eſt; ſed etiam abdomine, quod nunc mari conſperſum eſt maculis ex cinereo albeſcentibus; feminæ vero ex flavo ruffeſcentibus. Mas coitum celebrans inſilit feminæ tergo, brachiis complectens ita ſtringit thoracem, ut ea forte vi membrana in abdomine rumpi videatur, quæ ovula continet. Ovula citra ordinem tumultuarie emittit, numero 1100., in multiplicationem ſtupendam, profecto forte non ſine omni uſu, in nutrimentum hominis? Inde gyrini phytophagi branchiis reſpirantes elementum aqueum; quæ munit appendicula cornu cervino ſimilis, ſed poſt paucos dies decidua.

HABITATIO.

Primo vere in paludibus inter bufones, quos incaleſcente aere prædæ faſcino deſerit, vivit enim culicibus, muſcis, in quas irruens vehementer in altum, ac longinquum ſalit. Autumno, ſeu tempore nubilo iterum redit in paludes; ac hyeme ingruente ſeſe defodit in limum fundi. In culina, ac foro adhuc nimis ſcrupuloſe ſeparatur ab eſculenta, dum æque pro cibo eſſe poſſet; innocue enim manducata eſſe Norimbergæ Roeselius pag. 16. 17., quin & Viennæ, venduntur enim jam in foro detracta cute, antequam eſculenta ſoleat comparere. Volui itaque experimentis etiam disquirere, an forte juſtam, qui ab eſu earum ſibi timent, cauſam habere poſſent.

EXPERIMENTUM XIII.

Die 12. Octobris.

Aquam, in qua immerſæ diu jam detinebantur hæ ranæ, cani in os infundi curavi; verum illa ei non magis obfuit, quam fontana.

EXPERIMENTUM XIV.

Die eadem.

Applicui varias ſepes, ut hanc ranam commorderent, cum illæ alias ab omni vel veſtigio veneni valde ſoleant affici; verum hac vice nec ſeps ulla, nec ipſa rana commorſa quodquam notabile incommodum exinde contraxit.

COROLLARIUM.

Ergo rana muta veneni expers eſt.

RANA ESCULENTA LINNÆI.

Icon Rœſelii XIV. XIII.

DIAGN.

Viridis, maculis nigris; ore elongato; dorſo linea longitudinali lutea triplici angulato.

DESCRIPTIO

Caput ore acuto elongato, ſupra carina eminente; extremum os & maxillarum margo ex

ex viridi ſubflavet. Oculi fulgentes, aureoque circulo ornati. Corpus viride nigris conſperſum maculis; Præſertim vero viridis color florentiſſimus eſt poſt coitum, poſtea pallidior; in quibuſdam ſubfuſcus etiam evadit: inde fabula in plebe nata, ranas mutari æſtate in buſones. Ab extremo ore oritur linea lutea, quæ per medium dorſum ducta, in ano, inſtar anchoræ transverſa finitur. Similis, & in fimbriam veluti elevata, utrumque latus ab oculo ad femorum poſticorum articulationem ducta, ornat. Latera & crura dilutiori, & ex viridi ſubflavo colore differunt. Præterea crura adhuc maculis transverſis undulatis, veluti imperfectis faſciis, teguntur. Abdomen albidum, maculis quandoque cinereis, vel maxime in femina diſtinctum.

HABITATIO

In ſtagnis.

VICTUS

Omnium, quæ moventur, & quibus vincendis par eſt; vegetabilibus igitur, & mortuis animalibus non inſidiatur, quia non moventur; in alia contra minime edulia, ſi modo moveantur, irruit, ſed, ſi non placeat, mox revomit. Id pro fundamento eſt ranas hamo faſcinandi, ut nempe in filo particula panni ſcarlatini cum hamo appendatur, & conſtanter agitetur: ita ranæ ſtatim irruunt, ſed hamo retinentur in prædam.

MORES.

Mas clamosus, ex foraminulis, quæ vulgo pro auribus habentur, clamando quarck, quarck, vesicam utrinque extrudit, ac inflat, quibus femellæ carent.

COITUS.

Dum coitus instat, nempe mense primum Junio, cum quartum egerunt ætatis annum, mas diu, noctuque clamat; pedum tunc anteriorum tument pollices, & cute teguntur furva aspera. Cum femella ovula enititur, mas singulis vicibus ea sua conspergit genitura, mutata voce inclamans: geck, geck.

HYLA VIRIDIS.

(Rana arborea Linnæi) Icon. Rœselii Tab. X XI. IX.

DIAGN.

Supra virens, infra albens, utroque latere linea flava.

DESCRIPTIO.

Supra læte viret, at subtus albet tuberculis candidis contiguis, abdomen, gulam, femora subtus æqualiter exornantibus. Utramque superficiem linea flavescens, subtus livido-violaceo-umbrata, dirimit, dum prope nares orta, trans oculum ducta, utroque in latere per caput, corpusque extenditur. Pone femora vero ad gibbositatem dorsi reflectitur, inde relicto angulo acutissimo (quem subjectus

jectus color livido-violaceus explet), redit ad femora, & posteriorum pedum margines eleganter ambit. Similis linea, sed pallidior, per marginem superioris maxillæ decurrit, & pedes anticos, quos circa circum concinne ambit.

COITUS.

Quarto ætatis anno primo vere mas ad piscinas se confert, &, qui hucusque mutus fuit, jam, allecturus femellam, diu noctuque coaxat; gulam inter hæc in magnum monstrosum globum inflat, quo pro folle utitur ad vocem intendendam. Gula per hoc fit laxior, & fusca; hinc post coitum facile discernuntur mares, qui antea femellis erant simillimi. Coitus absolvitur amplexu thoracis a parte postica, sub quo pollices in latera sub axillas fortiter inserit. Post coitum mutant colores, & subfuscæ primo fiunt, dein subcinereæ sæpius, fuscisque maculis variæ; demum, antequam priorem assumant colorem, ex cæruleo virides. Cantilenæ posthac non amplius obliviscitur, sed adscensa arbore ex classe amentacearum, calycifloratum instante pluvia multum coaxat, insidens folio a parte inferiori. Catesby. Frigore autumni ingruente limo conditur, ibique manet, primo vere sæpe medius prominet, mediusque adhuc latet, donec se penitus liberet.

NB. In manu diu circumferri absque ullo damno possunt. Roesel. pag. 38., hinc experimento non videbantur indigere.

PRO-

PROTEUS TRITONIUS.

Tab. II. Fg. 2.

DIAGN.

Capite guloſo oculato; pedibus poſticis gradientibus, trunco brevi, dorſo pinna membranacea.

DESCRIPTIO.

Pellucido-maculatus; ſtatura perexiguus. Caput majuſculum orbiculato-triangulare, antice obtuſiſſimum, depreſſum; gula tumidula alba. Branchia exſtantia, appendiculata: ſupra aperturam appendiculis utrinque tribus, poſtrorſum lateraliter villoſis, ſeu ſecundo-pinnatis; ſummo longiori, infimo vero breviſſimo. Abdomen rubet, a transparente rubello pulmone. Cauda compreſſa. Digiti pedum ſine articulis breviſſimi. Dorſum medium membrana lata natatoria percurrit, quæ a nucha, tenui incepta principio, oritur, inde latior facta, in cauda latiſſima, circa finem ejus reflectitur, verſus anum redit, ibique extenuato fine terminatur.

HABITATIO

In lacu frigidiſſimo, qui eſt in alpe Etſcher. Extra aquam vix viſus.

MORES.

Caudæ aliqua parte mutilatus non raro occurrit aliorum gradientium more. Quieti ſedent in fundo lacuum, ſeu ſtagnorum frigi-

diſſi-

diſſimorum. Mutata patria cito pereunt. Aſylum in glutine fundi paludum. Extra aquam lentiſſime progrediuntur, membrana natatoria & villis branchiorum collapſis. Saporem & odorem piſciculorum deguſtati habent. Aquam glutinoſam faciunt.

An gyrinus tritonis alpeſtris? negant I. anni tempus, quo repertus, nempe extremo autumno, quo nix jam cadebat. II. relatio alpicolarum, qui dicunt toto anno reperiri immutatum. III. in aqua branchiis utitur, extra aquam eodem tempore pulmonibus pro arbitrio, quod alias gyrini non ſolent. Si quis melioribus argumentis contrarium oſtenderit, acquieſco.

EXPERIMENTUM XV.

Die 14. Octobris.

Talia animalcula imprimis 8. feli dedi deglutienda; totidem columbæ & cani. Nullum inde vomuit, vel male habere videbatur; quin inter hæc omnia experimenta egregie pinguefiebant omnia.

OBSERVATIO

Paſtorum alpeſtrium: boves in Etſcher per totam æſtatem, ſubinde etiam paſtores eam aquam, his animaculis refertiſſimam, bibunt; nec quisquam inde læſus eſt.

OB-

OBSERVATIO II.

Mortua cito corrumpuntur, & cum aqua in gluten resolvuntur, fœtorem tunc corruptorum piscium spargunt: quisquis manus hoc corrupto liquamine conspurcavit, altero die in iis pruritum percepit.

COROLLARIUM.

Veneni nihil habet, at cita forte corruptio videtur impedire, ne possit instar piscium in cibum adhiberi.

TRITON ALPESTRIS.

Tab. II. Fig. 4.

DIAGN.

Corpore atro tuberculoso; abdomine croceo-rubro immaculato.

DESCRIPTIO.

Oculi aurei sunt; corpus ventricosulum, verrucis minimis asperum; in fronte tamen & cauda minoribus, subtus nullis. Color supra ubique ater; a gula vero inde in abdomen & anum usque croceo-ruber; ita & caudæ inferior acies, sed ea magis flavescens, & maculis fuscis dirempta. Atrum dorsi, & rubrum abdominis colorem intercedunt puncta alterna nigra, quæ abdomen utrinque includunt. Cauda compresso-lata, fere diaphana, maxime in inferiori acie, qua flavescit. Plantæ depressæ circumscriptione circulari; digiti oblique striati, simplices, plani.

HA-

HABITATIO.

In Etſchero monte.

MORES.

Exit tempore pluvioſo. Irata preſſa, vel calefacta ſudat.

EXPERIMENTUM XVI.

Die 16. & 17. Octobris.

Juveni columbæ hoc animal ad latus implume applicui, & inter alam retinui, poſthæc adeo madebant omnia, ut animalculum in columbam urinam ſuam dimiſiſſe conjecerim. Altera die columba claudicabat; hinc veriſimilitudo nata eſt, quod halitus hujus beſtiolæ arthritidem faciat. Verum tamen repetito experimento in aliis columbis, in gallinis, in cane, & fele juvene haud fuit idem, licet ſingulis vicibus valde ſudaverit, & tota cute maduerit hæc beſtiola. Sed animalia æque ſana manſerunt, ac fuerunt ante.

EXPERIMENTUM XVII.

Die. 18. Octobris.

Juveni cani vulnus in femur inflixi, & hunc eundem tritonem per quadrantem horæ nudæ applicui carni, itidemque af-

fri-

fricui. Verum vulnus bonæ notæ manſit, & facile conſanabatur, etſi canem, ne unquam lamberet, cuſtodiri curaverim.

EXPERIMENTUM XVIII.

Die eadem.

Cani alteri hunc eundem in os vivum poſui: inde ſtatim vomuit. Verum experimentum deceptorium erat, quia videbantur fauces mechanice magis irritatæ fuiſſe. Itaque exactius comprobaturus, quid in re ſubeſſet,

EXPERIMENTUM XIX.

Die 20. Octobris.

Juſſi talem in duas partes dividi: prodiit omnium adſtantiam conſenſu teter fœtor. Singulam portionem cani, cum adipe illitam, ut lubentius deglutiret, ingeſſi; renuebat quidem deglutire, ſed deglutiebat tamen. Nec vomuit, ſed bene exinde habuit.

COROLLARIUM.

Adeoque tetrum licet fœtorem ſparſerit, tamen ob id magis nauſeoſus, quam vere venenatus eſt.

TRI-

TRITON CARNIFEX (*)

Tab. II. Fig. 3.

DIAGN.

Corpore atro tuberculoso; gula punctata; abdomine maculato.

DESCRIPTIO.

A priori diversus, quod minor: gula punctis nigris croceisve; abdomine nigris croceisve maculis eleganter variis. Caudæ inferior acies rubra; superior vero linea subrubella, a nucha per dorsum ducta, percurritur. Digiti teretes, tenues, acuti.

HABITATIO.

In præruptis umbrosis, fabulosisque.

TRITON PALUSTRIS.

Tab. IV. Fig. 2.

DIAGN.

Corpore glabro; gula lævi maculis characteriformibus, abdomine subrotundis; dorso supra plano, utrinque obtuse angulato; digitis teretibus.

DESCRIPTIO.

A prioribus differt; quod subcinereo, plumbeoque varius, glaber, dorso longitudinaliter biangulatus. Gula maculis in characterum

(*) Nomen a cauda ancipiti, cujus acies veluti cruenta.

rum ſpeciem confertis. Abdomen pallidum ſubcroceum, maculis in quatuor phalanges diſpoſitis, intermediis diſtantibus, lateralibus in lineam continuam ſubconfluentibus. Caudæ acies inferior obiter rubella; ſuperior, & dorſum ſtria deſtituitur.

HABITATIO

In ſtagnis Danubialibus.

TRITON CRISTATUS.

Act. Reg. Pariſ. anno 1729. *Tab.* 15. *Fig.* 1. *cum fuſa deſcriptione.* WURFBAIN *Tab. II. Fig.* 3. 3. *cum bona etiam deſcriptione pag.* 65.

DIAGN.

Corpore ſpongioſo nigreſcente, maculis rotundis atris; gula hiſpida; cauda glabra, punctata; tænia utrinque longitudinali alba.

DESCRIPTIO.

Corpus ſupra nigricans maculis, rotundis atris; æquale, teres, verrucis mollibus hirtum, aſperumque. Subtus croceo-aurantiacum maculis ſubrotundis, nigro-cæruleis, oblique eleganter confluentibus rugoſa, nec verrucoſa; gula pallida aliquando tamen variegata, verrucis acutis. Genitalia mari tumida, verrucis majoribus hiſpida. Eidem ab extremo ore linea prominere incipit, quæ mediam per frontem excurrit; in nucha in criſtam dentatam elevari incipit, quæ inter pedes poſticos finitur; digiti pedum longiores, di-

dilute, pellucidoque aurantii, nigris cinguntur faſciis. Cauda in origine ſubverrucoſa, mox glaberrima ac politiſſima fit, compreſſa, enſiformis, ſubpellucida, ſuperne magis arcuata, inferne vero rectiori acie, nigricans, punctis atris refertiſſima, media percurritur utrinque tænia alba.

HABITATIO.

In paludibus putridis.

MORES.

Veſcitur cadaveribus; fugiens cauda eleganter remigat; moribunda ſe contorquet, mordet, quaſi rabida.

EXPERIMENTUM XX.

Die 27. Octobris.

Multos collectos ſervabam murales ſepes: hos omnes admovi huic tritoni, ut eundem morderent; noveram enim ex experimentis prioribus hos eſſe certiſſimum veneni explorandi lapidem lydium. Acriter vero eum dentibus retinuit unusquisque. Phænomena in omnibus erant ſimilia: primo nempe pedibus anticis fiebant paralytici; ſucceſſit ſumma totius corporis, absque ulla tamen convulſione, debilitas; inde ſenſim ad motum inertes fiebant; tandem per lon-

giſſima ſolum intervalla reſpirabant; ultimo omnem facultatem motus amittebant, & placide moriebantur.

EXPERIMENTUM XXI.

Die eadem.

Eundem ita laceſſitum paulo poſt cani totum ingeſſi: bene canis exinde ſe habuit, & per horam in cubiculo ſedit, ambulavit, muſcas cepit &c., nec potui obſervare, an poſtea revomuerit?

COROLLARIUM.

Venenum ergo hujus animalis non eſt tam crudele, ut illud veteres proclamarunt, cum ſolis ſenſiliſſimis ſepibus exitiale ſit.

SALAMANDRA EXIGUA.

DIAGN.

Corpore fuſco, cauda compreſſiuſcula.

DESCRIPTIONEM

Non adornavi, ſed en iconem *Tab. III. Fig.* 4.

HABITATIO.

In vallis humidis, & ad ſepes fruticoſas, ſubtus lutoſas circa Viennam, ubi nunquam alia ſalamandra viſa eſt; ergo non videtur gyrinus eſſe alterius?

MO-

MORES.

Terram mobilem reddit, terebrando inſtar favi apum: in eam ſe ſubducit viſo hoſte.

SALAMANDRA ATRA.

(Auſtriacis Tattermandl.) *Tab. I. Fig. 2.*

DIAGN.

Atra tota immaculata.

DESCRIPTIO.

Atra tota absque maculis; maculoſa duplo minor. Palma, digitique depreſſi, nec toroſi, uti ſequenti. Occiput utrinque prominentia plano-oblonga. Collum capite multo anguſtius, nec ſubæquale, uti præcedenti. Verruca umbilicata ſupra ſingulam coſtam laterum.

HABITATIO.

In alpe Etſcher, ubi nunquam viſa ſalamandra maculoſa. Ergo una non orta ex alia.

MORES.

Quærit ſpeluncas, foramina.

EXPERIMENTUM XXII.

Die 16. Octobris.

Lacti primo commiſimus has beſtias, uſquedum pene ſuffocarentur, ita ut exemptæ tamen mox in ſicco reviverent.

Lac infuſum cani eſt, qui eo bene nutritus eſt, nec incommodum percepit.

EXPERIMENTUM XXIII.

Die eadem.

Sed illud etiam lac, quod ipſa hæc laceſſita beſtia per cutim ſuam exhalat, variis illinivimus aliis animalibus: pullis gallinaceis, paſſeribus, catulis, felibus. Catulis & paſſeribus etiam in os ipſum hujus lactis guttas expreſſimus, ac deglutire illas coegimus: nec obſervavimus ullum poſt hæc omnia ſequutum eſſe incommodum.

EXPERIMENTUM XXIV.

Die eadem.

Duobus ſepibus hæ ipſæ mordendæ datæ ſunt: a morſu paulo diutius durarunt, quam *ſeq. exper. XXVIII.* Sed tandem etiam convulſi quoque cum opisthotono mortui ſunt.

EXPERIMENTUM XXV.

Die eadem.

Sub hoc experimento iratum animal nobis ſæpius lac ſuum in faciem

&

& oculos vibravit, ſine ulla tamen noſtra noxa.

EXPERIMENTUM XXVI.

Die eadem.

Ut videremus, an etiam ſerpentes ex hoc lacte interirent, ita intercepimus hanc ſalamandram inter maxillas Natricis, & deſuper filis colligavimus, ut teneretur ita per multas horas in ore ſervare. Defluxit autem in os magna vis albiſſimi lactis, ut fila, quibus colligabatur, diſtincte exinde maderent. Verum exempta ſalamandra ex ore Natricis, utraque beſtia ſana erat.

COROLLARIUM.

Venenum ergo ſatis mite eſt, nec metuendum homini.

SALAMANDRA MACULOSA.

Rœſel. de Ranis in frontiſpicio.

DIAGN.

Atra, luteis maculis, macula utrinque ad occiput punctata.

DESCRIPTIO.

Caput latum convexiuſculum; oculi in anteriori capitis parte ſiti; palpebræ macula aurantia obtectæ. Occiput utrinque macula

aurantia, nigro-punctata, oblongo-reniformi. Caput subtus etiam luteæ distinguunt maculæ, in omni ambitu sub maxilla inferiori sitæ. Reliquum corpus, caudam & pedes undequaque aurantiæ, subtus tamen dilutiores, partim rotundæ, partim oblongæ, sed raræ, ornant maculæ. Color totius corporis aterrimus est, qui subtus expallescit in cæruleſcentem. Cauda post femora conico principio orta, sensim magis teres fit tota tamen annulis, quasi articulis constans. Verrucæ ubique molles, lactiferæ; sed duriusculæ, pallescentes in apicibus digitorum, & lateralibus tarsi carpique, qua pro calcaneo utitur. Latera sulcis profundis transversalibus in tumida, sed molliſſimas distinguuntur costas, quæ in conicam caudæ partem continuantur, & commissæ in reliquos abeunt annulos. Plantæ pedum tumidæ. Tubercula alterna medii dorsi verrucæ sunt, quæ medio puncto notantur. Corpus molliſſimum, lævissimum, licet verrucosum.

Wurfbainius adultas Salamandras vitro, aqua repleto, immisit: observavit post aliquod tempus fundum ovulis scatere, e quibus demum exiles gyrini emerserunt. Idem pictum reliquit Imperati in *Museo.* Ultimo tamen Cel. Maupertuis in *Actis Parisinis* 1727. monuerat, salamandras præter ova semper etiam fœtus vivos numerosos eniti. Metamorphoses gyrinorum non inconcinne notatas reliquit Idem Wurfbainius in *Tab. III.* ovum nempe ellipticum, quod continet contor-

tortum, ſed jam viventem, embryonem *Fig. B.*; gyrinum vero jam ovo liberum, ſed necdum pedibus inſtructum *Fig. C.* exhibet; parvam demum omni nota ſalamandram, ſed adhuc per dorſum & ſuperiorem caudæ partem membrana alatam *Fig. A.* repræſentat.

HABITATIO.

In ſubalpinis, & alpinis, & aliis montoſis ſylvaticis.

MORES.

Intrepida minarum, quo ire inſtituit, pergit; ſpiraliter contorta quieſcit.

De vehementia veneni ſalamandrini omnes Veterum libri pleni ſunt. Mendaciorum Pater Cajus Plinius jam ſequentia reliquit: *Inter omnia animalia venenata*, inquit, *ſalamandræ ſcelus maximum eſt: populos necare improvidos poteſt, nam, ſi arbori irrepſerit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, frigida enecat vi. Quin imo ſi contacto ab eo ligno vel pede cruſta panis incoquatur* (id eſt: ſi ad parandam panatellam lignum, quod ſalamandra pede tetigit, ſuccendatur) *idem veneficium eſt; vel ſi in puteum cadat; quippe cum ſaliva ejus quacunque corporis parte, vel in pede imo reſperſa, omnis toto corpore defluit pilus.* Lib. xxix. Cap. iv. Matthiolus in Dioſc. Lib. vi. Cap. iv. hæc omnia pro divinis effatis recipit, & addit: *Non ſolum*, ait, *veneno inficit, & necem adfert ſalamandra ſicca & in pulverem redacta, pota, vel clam cibis admiſta, verum etiam morſu, viperarum modo.*

Quin etiam fructus & herbas inficit tum saliva quadam, tum mucosa specie, quæ a toto ejus corpore sudat, magno gustantium discrimine, siquidem plerique inventi sunt, qui hoc veneno interiere: proinde mirum non videtur, integras familias periisse, quod aquas bibissent, in quorum puteos forte salamandra ceciderat, vel quod panem comedissent, furno coctum, qui lignis ab eo infectis incaluerat.

JULIUS CÆSAR SCALIGER totos agros salamandræ afflatu veneno infici, ut omnes, qui a granis in eo maturandis unquam comedant, veneficio pereant. *Ad Cardan. Exercit.* 185. *circa fin.* Et eo demum nugarum devenit JOANNES PINCIERUS, ut non solum hæc omnia veriſſima esse sancte affirmet, sed etiam tales homines ante mortem adhuc maculosos fieri, quemadmodum salamandra ipsa est, tradat. *Parerg. otii Marburgensis Lib. III. Cap.* 49. Ut absurdiora, & peripateticam insuper scholam redolentia, taceam, quæ ÆLIANUS, GREVINUS, AVICENNA, ALDROVANDUS, JONSTONUS, CÆSALPINUS, WOTTONUS de eadem habent.

Symptomata a morsu salamandræ carmine expressa reliquit NICANDER in *Alexipharm.*

Continuo stupido lingua inflammatur in ore,
Et subito torpent languore, malique tremores
Frigida concutiunt, solvuntque in corpore membra,
Ut quadrupes pronus, pueri instar, inambulet æger,
Usque adeo obtusum est, & hebescit mentis acumen.

Ex

Ex quibus terribilibus relationibus compulsis forte ortum est adagium : *eum, quem salamandra momorderit , tot opus habere medicis, quot bestia habet maculas.* WURFBAIN. l. c. 92. Ac plane etiam in jus Romanum irrepsere hæc somnia, in quo lege cautum est, ut homo, qui alteri temere cicutam, salamandram, aconitum &c. dederit, pœna teneatur legis Corneliæ *L. 3. §. 3. ff. ad legem Corneliam de Sicariis & venefic.*; quare etiam CARPZOVIUS in *Collegio criminali Part. I. quæst. 20. n. 2.* speciatim de eorum pœna agit, qui salamandram homini exhibent.

Sed primus, qui sapere humanum genus monuit, incomparabilis VERULAMIUS, etiam hanc salamandram attingit: *Excessiva*, inquit, *salamandrina figmenta de earum veneno, – – – nescio, a quo tantæ fidei & auctoritatis auctore vel doctore primum excogitata, aut prolata fuerint, – – – sine ullo rationis, aut experientiæ præmisso examine.* Augment. Scienc. Lib. I. Paulo post CONRADUS GESNERUS Antiquorum errores directe confecit, experimento suo ostendens, salamandram quomodocunque vexatam, aut irritatam nunquam mordere. WURFBAINIUS plane animal manu tractavit, & anatomen ejus nudis instituit manibus, sub qua sibi crebras humoris lactei guttas in oculos inspersas fuisse, absque ullo tamen damno, ipse testatur. Refert IDEM quoque, se cum commensalibus suis æstate refrigerationis causa aquam ex fonticulo potasse, ex quo postea salamandras ipsi extraxerint, omnia absque incommo-

modo. *vid. pag.* 100. Directum argumentum contra hujus animalis venenum eſt ille ſpecialis caſus, qui Academiæ Naturæ Curioſorum *anno II. Obſ.* 206. oblatus eſt: femina nempe ad occidendum maritum, cujus erat pertæſa, ſalamandram pulmento incoxit, quod tamen omne ille ſolus citra ullum ſuperveniens malum ſymptoma cum appetitu comedit. Fuere etiam, qui in *Actis regiis Pariſinis* experimenta directiora cum hoc eodem animali inſtituerunt; & imprimis Cel. MAUPERTUIS an. 1727. *Pluviæ crebræ*, ait Ille, *quæ hoc menſe Octobri ceciderant, fecerunt magnam quantitatem ſalamandrarum prodire, quæ mihi cum omnibus præcautionibus apportabantur, quæ tantum obſervari poſſunt contra animal maxime terribile. Primum, quod tentabam, experimentum,* continuat IDEM, *erat circa illud prodigium incombuſtibilitatis ſalamandræ: projeci ergo plures in ignem; plurimæ earum in inſtanti perierunt, quibusdam ſolum ſucceſſit, ut ſemicombuſtæ exſilirent, verum & hæ non poterant ſecundo tentamini reſiſtere. Inter hæc obſervabam, quod, dum vix in igne ſunt, guttis ſui lactis tegantur, quod rarefactum calore ſponte prodit, maxime in capite, & in mammellis; & in inſtanti indureſcit, quandoque forma perlarum. Circa venenum mihi propoſueram duas res tentare: I. ſinere morderi aliquod animal a ſalamandra. II. dare comedendam ſalamandram alteri animali. Verum non inveneramus animalia, quæ vellent comedere ſalamandram; nec ſalamandras, quæ vellent mordere animalia. Inutiliter mille illas modis vexavi, nulla tamen os aperuit: oportebat ergo eis os aperiri.*

riri. *Verum dum vidi earum dentes, quæ verisimilitudo, ut animal mordere posſent! parvi sunt, instar serræ, & æquales, scindere ergo potius valerent, quam mordere. Oportebat ergo animal habere cutis subtiliſſimæ: in dilatatum ergo os inſerui plagam pulli deplumati; verum etſi maxillas ejus longe fortius apprimerem, quam animal unquam valeret, tamen potius dentes retrocedebant, quam penetrarent. Detraxi etiam partem cutis in femore, & morſum nudæ parti applicui; applicui quoque morſum ſupra labia, & linguam canis, ſupra linguam galli indici cum ſalamandris recenter captis: at nullum ſymptoma ex omnibus his obſervari potuit. Supererat jam alterum: at canes potius fame perire volebant, quam horum quidquam deguſtare. Sivi ergo cani aperiri os, & ingeſſi ei ſalamandram in fruſta diſciſſam, quæ partim adhuc vivebant; curavi etiam ingeri gallo indico parvam & totam ſalamandram. Utrumque animal poſt hoc ita hilare nobis viſum eſt, ut ante. Canis tamen poſt horam caudam & pedes ſalamandræ revomuit; reliquum ille, at gallus indicus totum retinuit. Unus, uti alter poſtea edit, & bibit uti alias, nec ullum ſignum morbi dedit. Demum lac etiam, quod ſalamandra exſudat, pane deterſi, eundemque panem pullo ingeſſi; in idem lac etiam cuſpides intinxi, & hos in vulnera, quæ in ventre & femoribus pulli feceram, infixi: at totum inutile erat, & nullus effectus ſequutus eſt. Lac illud ſimile eſt lacti quarumdam plantarum, quod diſciſſæ fundunt: habet nempe acrimoniam & ſtipticitatem intolerabilem; nihilominus tamen linguæ impoſitum, ut ut crederes, debere in eo loco ſequi vel*

cica-

cicatricem vel corrugationem, tamen malum durans non producit. Quidam piſces meriti ſunt nomen urticarum per ſimilitudinem, quam habent cum hac planta, dum tangitur: ita & noſtra ſalamandra poſſet conſiderari ut tithymalus animalium.

Etſi quidem per hactenus dicta quæſtio de veneno ſalamandrino ſatis definita videatur, volui tamen etiam ipſe experimenta capere.

EXPERIMENTUM XXVII.

Die 1. Octobris.

Admovimus hanc lateri implumi pulli gallinacei; tum etiam columbæ, & cum ala ejusdem retinuimus corpori appreſſam. Animal inter hæc multum albi lactis exſudabat, ut latus nudum inde madefieret. Nullum tamen inde vel pullus vel columba vitium contrahebant.

EXPERIMENTUM XXVIII.

Die 6. Octobris.

Duo ſepes murales momorderunt hanc ſalamandram, quæ ſentiens morſum, conabatur effugere, & omni modo declinare eundem: irata igitur plurimum lactis dimiſit in os mordentis ſepis. Primus ſub ipſo experimento mortuus leviſſimis tantum vitæ ſignis reliquis; alter duobus minu-

nutis poſtea opiſthotono, & convulſione pedum periit. Tertio etiam cuidam lac exſudans in os illitum eſt: paulo poſt hic opiſthotono corripiebatur; mox ſpaſmo in latus contortus, ultimo eodem latere paralyticus factus, tandem plane periit.

EXPERIMENTUM XXIX.

Die 3. Novembris.

In fruſta conſcideram integram, cani intruſurus: videbatur valde nauſeare ſolo percepto odore, homini licet non ingrato; ſed coactus deglutire, retinuit totum in ventriculo per horæ integræ ſpatium; inter hæc nulla functio læſa eſt, canis facie hilaris proſpexit, attamen poſt horam integram immutatam vomitu reddidit, abſque ulla mala ſequela.

OBSERVATIO.

Salamandræ non ſolent ſe urina defendere, uti bufones, ſed ejaculantur lac ex poris in hoſtem.

COROLLARIUM.

Peculiaris naturæ eſt illud lac, quod præter fragrantiam ſummam aliquid contineat, quod ſepibus exitiale ſit; nec forte errant, qui inde medicamentum ſummarum virium exſpectant. Quoniam vero venenum non eſt, non videmus illis

illis antidotis Plinii, Dioſcoridis, Nicandri, Avicennæ, Aetii, qui plurima commendarunt; nec magis ſemine halicacabi, quod ultimo adhuc PAULUS SORBAIT laudavit (*Prax. III. append.*), indigere.

SEPS SERICIUS.

Tab. II. Fig. 5.

DIAGN.

Collario adnato; ſcutis intermediis quadratis; cute laxa delicatiſſima, tenerrima, ſubſquammulata, fuſca.

DESCRIPTIO.

Tegmen capitis poſtice integrum, ore extremo per ſulcos diviſum; ſcutum ſupraorbitale convexum, utrinque diſtinctum. Thorax tectus cuticula delicatiſſima, ſubſquammulata, contorſione introrſum rugeſcente. Cauda duplo longior corpore, teres, extenuatiſſima. Color ſuperne idem obſcure fuſcus. Collarium rugeſcens adnatum, delicatiſſimum. Color collarii, abdominisque rubellus; viridulusque pro vario ſolis obverſu: argentee reſplendens. Corpus glaberrimum, tenellum, ſubpunctatum. Caput ovale. Lingua obtuſo-emarginata, ceu anguis fragilis.

HABITATIO.

In ſtratis lapideis circa aquas.

MORES.

Sequenti tardior, etſi major.

Ex-

EXPERIMENTA cum hac ſpecie non tentavimus.

SEPS ARGUS.

Tab. I. Fig. 5.

DIAGN.

Collario adnato; ſcutis intermediis quadratis; corpore quaquaverſum ocellato.

DESCRIPTIO.

Statura omnium minima, ſi adulta? ſupra bruno-cinerea undequaque ocellata. Ocelli medio flavi, circulo nigro cincti: dorſales obſoletiores, minus diſtincti; ad nucham vagis, ſed extimæ lineam affectant. Laterales diſtinctiſſimæ, in ſole aureo-fulgidæ, in tres phalanges, quarum infima utrinque imperfectior, ordinatæ. A cruribus poſticis utrinque per caudam ſpecies ocellorum majuſculorum, inter ſeſe fere confluentium, ſeries excurrit, quæ cum cauda extenuatur, & evaneſcit.

HABITATIO

In muris verticalibus cum ſequenti.

MORES.

Manſuetus, ut non mordeat, quomodocunque irritatus; licet agiliſſimus, manu tamen facillime ſe capi patitur.

EXPERIMENTUM XXX.

Die 30. Auguſti.

Ore violenter diducto plicam abdominis alicujus aviculæ inſeruimus, & dentes deſuper compreſſimus. Avicula ſolam videbatur compreſſionem ſenſiſſe; nec vero dentes videbantur ad interiora uſque pertigiſſe; avis etiam inde non afficiebatur.

EXPERIMENTUM XXXI.

Die eadem.

Itaque eidem aviculæ cutem diſcidimus, & maxillas diductas vivis carnibus applicuimus. Nec inde avicula pejus habuit, quam alioquin fuiſſet ex ſolo vulnere exſpectandum.

COROLLARIUM.

Ergo nihil venenati habere videtur pulchra hæc beſtiola.

SEPS MURALIS.

Tab. I. Fig. 4.

DIAGN.

Collario adnato; ſcutis intermediis quadratis; femoribus transverſis; corpore humili; tænia utrinque ad latera thoracis ſaturatiori.

DE-

DESCRIPTIO

Statura inter eos, quibus infimæ collarii ſquammæ adnatæ, ſcutulaque abdominalia quadrata ſunt, grandior; abdomen planum; corpusque terræ vicinum; pedes omnium maxime divaricati, laterales; adeoque fere totus terræ appreſſus. Dorſum a lateribus diſtinguit utrinque tæniola obſcure fuſca, ab oculo incepta, excurrens ad finem caudæ. Similis, ſed obſoletior pedes anticos, poſticosque intereſt, adeoque medium percurrit utrinque latus. Medium dorſum nebulatum, ſeu inæqualiter maculis fuſcis varium eſt. Squammæ caudales lineares annulatim reſectæ, nec acutæ ſunt.

VARIETATES.

Aliquæ conſtantiores, quod aliqui obſcurius fuſci; alii in ſole veluti argentei niteant; atque hæc dioica videtur diverſitas eſſe. Aliæ inconſtantiores, ut abdomen, caudaque ſubtus miniata; abdomen ſubtus eleganter punctatum. Puncta lateralia abdominis & caudæ quaſi gemmæ. Principium caudæ fere articulatum, & plura ſimilia, quæ perpetuo variant, nec veram conſtituunt diverſitatem.

HABITATIO

In mœnibus, ruderibus, aggeribus lapidoſis paſſim ubique.

MORES.

Aſylum muri verticales, ubi celerrime ſurſum, deorſumque fugit, inſequente etiam hoſte deſilit. Strepitu, ac motu minimo fugandus.

EXPERIMENTUM XXXII.

Die 10. & ſeq. Auguſti.

Aviculæ in ſiniſtro abdominis latere vulnus inflictum, & ſanguis hujus ſepis inſtillatus, & infrictus eſt. Altera die avicula ſana & vegeta edit, bibit, & hilaris cecinit. Repetitum eſt hoc experimentum ſemel, iterumve in aliis animalibus: nec quidquam nocuit ſanguis ſive ex trunco, ſive ex cauda deſumptus.

EXPERIMENTUM XXXIII.

Die 11. & 13. Auguſti.

Sepem recenter mactatum, & in portiones diviſum, abjecto tamen capite & cauda, columbæ in modum alimenti in ingluviem intrudi curavi. Columba tamen portiones ingeſtas retinuit in corpore, &, ut antea, edit, bibitque, hilaris fuit, ſanaque manſit. Poſt biduum, ut ſatisfieret illis, qui maximam veneni vim in capite & cauda latere putabant, lacertæ ſimili caput caudamve abſcindi curavi, & alteri columbæ pari modo intrudi. At eventus erat, qui prior.

EXPERIMENTUM XXXIV.

Die 12. & ſeq. Auguſti.

Columbas & minores aviculas, nec non ranam curavimus ab eodem commorderi. Adhæſit ſæpe per medium quadrantem pertinaciſſimus, nec facile avelli potuit. In minoribus aviculis paſſim poſt morſum ſanguis viſus eſt exire. At nunquam aliquid incommodi inde viſa ſunt percepiſſe, quæcunque ad experimenta vocata, animalia.

EXPERIMENTUM XXXV.

Eadem & ſeq. Auguſti.

Cuniculos, columbas, aviculas minores vulneravimus, nudisque muſculis, membranis, nervis admovimus eundem, antea omni modo ad iram concitatum. Adhærebat & hic ſubinde æque pertinaciter, ſpumamque continuo copioſam ex ore vulneri immiſit. Vulnera tamen facillime conſanata ſunt, absque ullo malo ſymptomate; & animalia, etſi ſaucia, tamen ſe poſt experimenta bene habebant.

COROLLARIUM.

Ergo neque hæc ſpecies aliquid venenati in ſe habet. Cum autem in tota Auſtria, præſertim Viennæ, maxima habeatur quantitate,

ut multis pauperibus nutriendis per totam æſtatem ſufficiat; caro cæterum nitida ac pura ſit, poſſet nunc ab illis conquiri (quod eſſet facile, cum in morſu nullum ſit periculum) & detracta cute inſtar piſciculi frixari, vel coqui: forte futurus olim magnatum cibus.

SEPS TERRESTRIS.

Tab. III. Fig. 1.

DIAGN.

Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore fuſco, utrinque ſerie macularum obſoletarum.

DESCRIPTIO.

Statura inter omnes, quibus ſolutum eſt collarium &c. minima. Corpus teres; truncus longiſſimus, ſeu pedes poſtici ab anticis remotiſſimi. Caput etiam teretius, oblongius, quam ſequentibus. Collarium margaritacei eſt coloris, dum ſcuta abdominalia contra flaveſcunt, exceptis extimis, quæ jam jam ruffeſcunt. Latera & dorſum fuſca ſunt, in ſole tamen obiter ſubvirideſcunt. Dorſum includit utrinque ſeries macularum obſolete nigricantium, inæqualiter ſparſarum, quæ & idem a lateribus ſeparant. Squammæ caudales ſubtus ſolum acutæ, ſupra vero lineares, & veluti annulatim abſciſſæ ſunt, ut in præcedenti.

HABITATIO.

In terra lapidoſa plana.

MO-

MORES.

Fugiens ſaltus alacres facit. Refugium inter lapides; cæterum non fodiens ſubterraneos meatus, uti alii.

EXPERIMENTUM XXXVI.

Die 8. Auguſti.

Exiguam aviculam acriter commordit in pectore, diuque retinuit: illa vero valide renitebatur, ac ſeſe conabatur ſubducere. Sed paulo poſt reſpiratio aviculæ fiebat laborioſiſſima, & moriebatur ſub ipſo experimento, antequam illam adhuc ſeps e dentibus dimiſiſſet. Juſſi vero aviculam ſtatim exacte deplumari: & tunc apparuit alam eſſe fractam, & animalculum, præter morſum, adhuc externam violentiam eſſe paſſum.

EXPERIMENTUM XXXVII.

Eadem Die.

Repetii ergo illico experimentum cum aliis aviculis, columbis, gallinis, ranis, cuniculis, felibus, etiam defluente ſubinde ex vulnuſculo ſanguine; neque tamen faucia poſt plurimos morſus animalia vel ægrotare videbantur, multo minus mortuum ex illis ullum eſt.

EXPERIMENTUM XXXVIII.

Die 9. Auguſti.

Adferri curavi recenter tales ſepes: obtulimus tenerrimas aviculas; interim irritatus & in ſummum furorem actus ſeps ſponte irruebat. Sed ſanæ nihilominus manſerunt omnes aviculæ, comederunt, biberunt, cecinerunt omnibus diebus ſequentibus.

EXPERIMENTUM XXXIX.

Eadem die.

Columbæ, & paris duobus vulnera inflximus, & gluten, quale ſepes ſolent in ore habere, de induſtria expreſſimus, & infricuimus crudo vulneri. Conſanabantur omnia, veluti ſolent, optimæ notæ vulnera.

EXPERIMENTUM XL.

Die 12. Auguſti.

Columbis denuo nova vulnera inflximus, & irritatum admovimus ſepem, qui diu & pendulis artubus hærebat, ſpumam etiam manifeſte ex ore immittebat vulneri. Experimentum iterum, iterumve repetitum eſt, neque tamen alius a priori eventus.

CO

COROLLARIUM.

Ergo nocendi potentia caret ſeps terreſtris.

SEPS RUBER.

Tab. III. Fig. 3.

DIAGN.

Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; lateribus fuſcis; dorſo ruffo diſtinctiſſimo.

DESCRIPTIO.

Collarium, & abdomen coloris virideſcentis, obliqua inſpectione rubeſcentis. Collarium ſquammis punctatis, infimis bipunctatis, ſeu charactere inſcriptis. Scuta abdominalia bipunctata, extima tri-aut quadripunctata, in characteres confluentia. Latera virideſcentia, verſus dorſum fuſceſcentia; latera capitis, corporisque maculis nigris, viridibus ſuperioribus majoribus; pupilla laterali candido-virideſcenti, ocellos imperfectos ſeu dimidiatos utrinque duplici ſerie conſtituentibus. Vertex fuſcus ſubpunctatus; inde nucha, dorſum medium, ſuperiorque caudæ pars fuſco-ruffa, at ſine ullis maculis. Tota cauda ſubtus pallide ruffa, obliqua inſpectione argenteo-reſplendens, nigro-punctata.

EXPERIMENTUM XLI.

Die 15. Auguſti.

Aviculam circa uropygium ita commordit, ut ſanguis undequaque prodiret.

Verum avicula nullum inde ægritudinis ſignum dedit.

EXPERIMENTUM XLII.

Die 25. Auguſti.

Columbam, & duas aviculas curavimus ab hoc quam ſæpiſſime commorderi, ut ſubinde ex vulnuſculis ſanguis prodiret, & animalia ſub morſu inſuaviſſimum dolorem teſtarentur. Tamen altera jam die omnia ſana, & alacria erant.

EXPERIMENTUM XLIII.

Die eadem.

Vulnera inflximus columbæ, ut hic ſeps nudas morſu carnes comprehenderet. Obſervavimus vero ſepem ex hauſto quaſi ſanguine multo factum crudeliorem. Sæpius itaque admotus vulneribus, cum deſiderio comprehendit carnes. Columba tamen quiete ſola iterum refocillata eſt, & vulnera laudabiliter ſunt conſanata.

EXPERIMENTUM XLIV.

Die eadem.

Cani profundum inflximus vulnus, ut nervi denudarentur. Applicabamus ſæpius

pius eundem ſepem, qui titillatione iratus factus nunc adhuc ardentius momordit. In vulnere canis nihil maligni obſervatum eſt, quin imo citius, ac nos ſperaremus, convaluit.

COROLLARIUM.

Ergo & hic ſeps ruber veneno caret.

SEPS CAERULESCENS.

Tab. I. Fig. 3.

DIAGN.

Collario ſoluto; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpus cæruleo-margaritaceum; latera ocellata, triplici utrinque ſerie.

DESCRIPTIO.

Collario & abdomine flavus, punctis in media gula nullis, abdomine raris, ad latera utrinque manifeſticoribus, nigris. Color dorſi, laterumque violaceo-margaritaceus. Ocellorum in ſingulo latere tres ſeries: una in medio dorſo, at imperfecti ſunt ſquammulis duabus tribusve albis, pupillam irregularem conſtituentibus, aliis vero inæqualiter circumpoſitis nigris; ſuperiorem & mediam ſeriem quod intercedit ſpatii, ſaturatius coloratus; infima ſeries imperfectiſſima eſt. Ocelli vero medii dorſi lineolæ longitudinales albæ ſunt, macula utrinque rhomboidali obliqua fuſco-nigra ſtipatæ: hæ lineis continentur. Eos profundior ſtria, ocellorum latitudine unit, & per caudæ ſupe-

rio-

riorem partem comitatur. Lateralis ſuperior ſeries adhuc ultra pedes poſticos per caudæ latera excurrit: hanc inter & ſequentem phalangem profundius violaceus interjicitur color; reliquæ utrinque ſeries ante poſticos pedes terminantur. Femora & cubiti in externa parte maculis, ſeu imperfectis quoque ocellis ornantur: extimi tamen artus his deſtituuntur.

Nulla cum hac ſpecie ſuſcepi experimenta.

SEPS VARIUS.

Tab. III. Fig. 2.

DIAGN.

Collario ſoluto ruffo; ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore viridi, punctis fuſcis variegato.

DESCRIPTIO.

Vertex obſcure viridis; latera capitis, & regio, quæ retro aures eſt, ex fuſco ſubrubello & alio rubello ſubalbicante colore variegantur, & argenti habent fulgorem. Collarium margaritaceum, directe inſpectum cæruleſcit, oblique rubeſcens, argenteoque nitet fulgore. Abdomen flavum absque punctis, latera infimo & ſcutis contiguo loco flavo-viridia, punctis ſimplicibus, ſuperne ex dilute viridi & fuſco variegata. Dorſum obſcure, in nucha tamen, & inter ſcapulas amœnius virens, maculis nigro-fuſcis hic paucioribus. Series macularum albicantium exiguarum rararum, vagarumque utrinque dorſum includit. Inferior, minus

minus evidens, per latus variegatum ab aure ad pedes poſticos excurrit; ſuperior ad caudam continuatur. Retro femur reliquis inſignior macula eſt. Dorſi poſtica pars, caudæque ſuperior, & pedes poſtici fuſca. Cauda vero ſubtus albicans.

HABITATIO.

In rupeſtribus inviis: rarior in mœnibus circa Viennam.

MORES.

Dum exuvias ponit, laſſus, tardiſſimus; alias vehementer mordet, maxillis toroſis, muſculoſis.

EXPERIMENTUM XLV.

Die 19. Auguſti.

Prehendit aviculam circa jugulum, nec ſolum vulneravit, ſed conſtrictis faucibus pene ſuffocavit; inde avicula male habere viſa eſt: ſed tamen ſibi relicta ſponte refocillata eſt, ut altera jam die caneret, & hilaris eſſet.

EXPERIMENTUM XLVI.

Die eadem.

Columbam, ac paros duos, quorum alter ex aliquo priorum experimentorum adhuc ſaucius erat, vehementer iraſcens com-

commordit: vidimus ſingulis ex parvis vulnuſculis, quæ dentes relinquebant, exire ſanguinem. Attamen nullum horum interiit, etſi quidem pari per horas aliquot percepto dolore videbantur contriſtari.

EXPERIMENTUM XLVII.

Die 20. Auguſti.

Columbam prioris experimenti ita commordit, ut cutim detraheret, atque lata femoris plaga nuda ſupereſſet. Verum vulnus cruſta inducta ſanabatur, & poſt paucos dies ſub ea nova renata cutis eſt.

EXPERIMENTUM XLVIII.

Die eadem.

Cani ac feli ad femur cutim & panniculum adipoſum diſcidi, tum ſepem hunc admovi. Animalia renitebantur, & ſigna doloris edebant: ſeps inter hæc ſpumam vulneri immittebat. Animalia a morſu nihil videbantur præter brevem dolorem, eſſe paſſa, & vulnus ſutura clauſum bene, & intra breve tempus utrique conſanatum eſt.

CO-

COROLLARIUM.

Ergo & ſeps varius extra omnem veneni ſuſpicionem ſufficienter poſitus eſt.

SEPS VIRIDIS.

Krauthun *Viennenſibus.*

Icon Sebæ Muſ. II. Tab. CIII. Fig. 4.

DIAGN.

Collario ſoluto cæruleo, ſcutis intermediis ſubrotundis; corpore elegantiſſime viridi.

DESCRIPTIO.

Indigenorum maximus, granulis tectus, quibus totus viridis citra peregrini coloris miſcelam; hinc in ſole omnibus ſmaragdis, chryſolitis, & beryllis elegantior. Nucha tamen & medium dorſum, & caudæ initium ſupra nigris punctis paucis variegatur. Collarium cæruleum eſt: ſquammæ vero ſolutæ margine albicant. Abdomen vero flavo-virideſcens, extimis ſolum ſcutis maculis litterarum arabicarum inſtar inſcriptis. Caput ſupra fuſcum eſt, in ſole aureo-rubens ac ſplendens, ocellis præterea vagis ornatum: pupilla flava ſeu aurea circulo nigro.

HABITATIO.

In aggeribus lapidoſis, ſabuloſis, in pratis ſterilibus apricis. In muris & mœnibus. Aſylum meatus ſubterranei,

MO-

MORES.

Intrepitus apricatur in ſole, latera colli utrinque alternatim inflat, ut *ſtrumoſum* merito appellaverit SEBA. Vix fugatur ſtrepitu, niſi hoſte cominus accedente ſui roburis quaſi conſcius: fugiendo ſtrepitum non edit, etſi noſtratum ſepium maximus.

EXPERIMENTUM XLIX.

Die 30. Auguſti.

Hic columbam in articulo dextro femoris tanto morſu prehendit, ut ſubito totam cutim illius loci avulſerit. Poſt primum hunc morſum eidem adhuc ſemel loco admovimus, ut ipſos jam nudos morderet muſculos. Prehendit autem denuo acerrime, nec facile dimiſit. Poſt hæc cutis detracta iterum adſuta eſt, & columba poſt claudicationem unius diei facile convaluit.

EXPERIMENTUM L.

Die eadem.

Idem acriter momordit juvenem canem in abdomine adhuc impubi; canis horrende clamavit. A morſu tamen nec ſanguis, nec punctura obſervabatur, ſed plica ſolum, quam nempe prehenderat, exſtabat, quemadmodum ſolet fieri;

dum

dum plica cutanea in alio quocunque prelo intercipitur; canis cæterum bene valuit.

COROLLARIUM.

Ergo potius violentia morſus vulnus dolorificum lacerando infligere poſſet, quam venenata qualitate lædere.

Homo ſine metu capere poteſt.

Cum carnoſi ſint, bonum, & multum cibum præberent.

EXPERIMENTUM LI.

Circa ſepes omnes.

His viſis non timuimus amplius capere quascunque ſepium ſpecies, eas in manibus domum deportare, domi pro joco manibus tractare, dimittere in cubiculis &c.

OBSERVATIO DE SEPIBUS IN GENERE.

I. Sepes juvenes, qui minutiſſimi ſola dempta magnitudine parentibus ſimiles ſunt. II. poſitis exuviis ſubjecta cutis denuo exuviis ſimillima, ut punctum puncto, macula maculæ reſpondeat.

Ergo ſepes noſtri nec formis ludunt, nec metamorphoſes patiuntur; quamobrem hucuſque enarrati veræ ſunt ſpecies; nec varietates, aut metamorphoſes.

ANGUIS FRAGILIS.

Tab. V. Fig. 2.

DIAGN.

Corpore ſubæquali; glaberrima, nitens, aureo fuſca; macula frontis, cervicisque, ex quibus duæ lineolæ ſubcontiguæ longitudinales.

DESCRIPTIO.

Squammæ in abdomine in medio atri plumbei, per margines vero magis argentei coloris conſtituunt phalanges longitudinales ſex; in cauda demum quatuor; numerus longitudinalis difficillime, & vix ac ne vix elicitur, ita enim ſunt appreſſæ, ut difficillime numerentur. Ore acuto terebrat: maxilla inferior integra, fortis, qualis ſepibus, eſt. Corpus totum nitidiſſimum, ſplendens, ſquammis appreſſis indiſcernibilibus. Supra aureo fuſca. Ad latera ſubtus demum ex fuſco argentea. Supra adhuc lineata: notabilioribus duabus fuſcis lineis per medium dorſum a macula longitudinali frontis, alteraque cervicis inceptis, ſibi fere contiguis, rectis. Similis præterea lateralis utrinque ab oculo per totum latus incedit, in cauda grandeſcens. Sub ea ſtria ſingula ſquamma puncto fuſco; hinc tot ſeries punctorum, quot ſunt ſquammarum. Maxilla inferior lineolis diſtincta. Lingua obtuſe emarginata, inciſura brevi. Caudæ poſtica medietas ſquammis arctius appreſſis diſtinctiſſima, ſaturatior, magis polita, rigidior:

dior: ut crederes, hanc caudæ partem, casu abruptæ, renatam, quod in sepibus frequens.

HABITATIO.

In pascuis, in muscosis, etiam ad vias, & in ruderatis.

MORES.

Tacta, aut alioquin irata, riget instar ligni; hinc qui tractare vellet, rumperet. Hæc sola causa fragilitatis! an sola ira rumpitur? mea sponte rupta non est.

EXPERIMENTUM LII.

Die 4. Octobris.

Hæ mordere non solent, quomodocunque irritatæ, sed magis tantum rigent, etsi mordere posse, dum firmam & integram, instar sepium, utramque habent maxillam, non sit dubium. Itaque instrumento os diducere debuimus, & plicam cutis alicujus canis inserere. Adhæsit ita diutissime, firmissime, comprehendens eam plicam; canis tamen, alias valde querulus, hac vice non ejulavit: vidimus causam in eo esse, quod dentes nimis breves sint: & cutim non possint penetrare. Animal etiam posthac nullum inde percepit incommodum.

EXPERIMENTUM LIII.

Die eadem.

Hinc teneras aviculas experimento adhibuimus, quæ, etſi vulneratæ, tamen inde plane non videbantur ægrotare.

EXPERIMENTUM LIV.

Die eadem.

Incidimus ergo columbis cutim, ut ipſas nudas carnes dentibus prehenderet. Adhæſit ſic immota longo tempore anguis, & humorem, quem in ore habebat, vulneri immiſit. Columba vero ex vulnere reſtituta eſt, & ſana vixit.

COROLLARIUM.

Ergo innocentiſſima, licet hactenus veneni fama apud plebem infamis.

NATRIX VULGARIS.

DIAGN.

Ex cinereo-cæruleſcente nigricans ad occiput utrinque; macula albo-lutea, quæ a nigra excipitur; media in nucha inter priores cum oppoſita confluente; ſcutis abdominalibus ſingulis utrinque macula ſquammiformi.

DE-

DESCRIPTIO.

Caput depreſſo-planum triangulare, atrum, ſed labiis ſuperioribus ad oculum uſque albis; at ſingulis ſquammis in margine nigris. Oculi atri. Maxilla inferior antice deliqueſcit, & adhuc minus firma eſt, ac præcedenti, hinc ad morſum inertiſſima. Gula & labium inferius alba: inde tenui principio ortum ſumit macula ſimilis, aut magis lutei coloris, retro caput utrinque ſupra commiſſuram maxillarum ſita. Retro ſingulam alia atra, arcuata, quæ albas pene totas, ut ocellorum prægrandium ſpeciem faciat, ambiunt, ad nucham inter ſe confluentes, ac albas diſtinguentes. Prima ſcuta uſque ad 6tum gulæ album retinent colorem, tum macula, in medio cærulea, incipit apparere, non ſenſim creſcens per ſequentes, ſed eleganti irregularitate jam iterum major, jam minor, nullo decreſcendi vel creſcendi ordine. Ad 16tum ea macula jam lateſcens totum incipit ſcutum occupare, & ita per reliquas; maculam tamen in ſingulo latere, ſeu ſcuti extremitate utrinque reliquam facit, albæ quaſi & appictæ ſquammæ æmulam, quæ magnitudine inæquali inter ſe continuo variant, & ita ad anum uſque continuantur. Caudæ vero ſquammæ inæqualiter maculatæ ſunt. Cutis ſuperne ſquammis ſubjecta atra; ſquammæ vero cinereo-fuſcæ, ſubinde in ſole ſubvirideſcentes, maxime cum animal paulo ante poſuit exuvias. Macularum etiam, ſed obſoletarum, quinque ſunt ſeries:

una per dorſi medium, duæ in ſingulo latere, eæ ſquammarum margines tenent, & raræ ſunt. Series, quæ medium dorſum percurrit, jam ante ani regionem evaneſcit; laterales inferiores in ano finiuntur; ſuperiores vero per caudam adhuc excurrunt. Squammæ præterea ſingulæ linea longitudinali per medium eminent: quæ tamen in cauda non conſuevit obſervari. Sunt adhuc dorſi ſquammæ acutæ; laterales rotundiores.

VARIETATES.

Tantum ſexum videntur inter eſſe: MARI (quem credimus) labiorum ſtriæ, ſcuta & ſquammæ aterrimæ, ita & oculi, quibus & circulo aureo pupilla cingitur. Corpus cæterum obſcure nigricans, nitens; maculæ ad capitis latera luteæ. FEMINÆ ſcuta, & oculi dilute cærulea, dorſum cinereum, macula capitis alba. Cutis plerumque magis ſordibus ſquallens, quam mari.

HABITATIO.

Paſſim in dumetis, ſepibus, fruticetis, vallis, pratis, & ipſis ædibus.

MORES.

Ab injuria non iraſcitur, ſed magis timet, & fugam tentat. Inter hæc ſibilat; fœtorem ſuum alliaceo-ambroſiacum, quaſi putridum, late ſpargit, ut a longinquo jam ſentiatur. Locum in quo habitat, eodem fœtore imbuit.

EX-

EXPERIMENTUM LV.

Die 6. & 16. Auguſti.

Hic ſerpens omni modo in iram incitatus, ad ſpontaneum tamen morſum oblato cane ſtimulari non poterat; hinc ductæ ei maxillæ ſunt, & plica abdominis eidem inſerta & intercepta. Compreſſione externa dentes, quos habet acutiſſimos, ita adigebantur, ut canis vehementer ejularet Ab experimento vulnuſcula perexigua, humore ſalivali ſerpentis perfuſa, ſupererant. Idem cum columba experimentum inſtituebamus, & vidimus toto tempore, quo aduncis ſuis denticulis adhærebat, cuti, vaginulam illam, in qua his animantibus lingua latet, identidem admoveri parti demorſæ, ac retrotrahi iterum. Idem cum minoribus aviculis inſtitutum experimentum eſt. Accepi vero adultiorem Natricem, quæ irritata ſponte os diducebat, & felicioris ſucceſſus ſpem faciebat: verum cum huic ſpeciei maxilla nec cohæreat, nec recte articuletur, non potuit ſponte mordere; hinc eadem adminicula adhibuimus, quæ in præcedentibus experimentis. Animalia omnia ſalva, ſana, & jucunda manſerunt.

EXPERIMENTUM LVI.

Die 23. Septembris.

Nonnullis methodum jactantibus, ſe intercepto inter calceum & ceſpitem, & ita ſurſum tracto ſerpente, hoc quaſi torculari, venenum exprimere noſſe: nos quidem methodum imitati, urinam & fœces exire vidimus; ſed utroque hoc excremento, nudæ cuti canis illito, nihil mali oriri, adeoque ſordes fœtidiſſimas, non venenum tamen, eſſe comperi.

COROLLARIUM.

Natricem ergo hanc jam a Linnæo veneno abſolutam, etiam noſtra experimenta omni eximerunt ſuſpicione.

CORONELLA AUSTRIACA.

Tab. V. Fig. 1.

DIAGN.

Ex cinereo-cæruleo-ruffa; maculis dorſi alternis diſtinctis.

DESCRIPTIO.

Oculi igneum ruffum colorem habent, & mediam lineam dirimunt, quæ ad angulum rictus profunde fuſca enaſcitur; inde ad oculi poſteriorem marginem lata, & ab anteriori denuo incepta ad foramina narium excurrit. Labia, ſeu utriuſque maxillæ margo, ex

ſquam-

ſquammis ſubalbidis imbricatis conſtituitur; reliquum caput obſcure gryſeum eſt. Medium verticem oblongus ocellus notat. Inferior maxilla anteriori parte deliqueſcit; ſuperior duplex utrinque eſt. In nucha duæ grandiores, ſubtriangulares, ſubdentatæ, ſibi e regione utrinque appoſitæ fuſcæ, ac in flavo-aureum colorem vergentes maculæ ſunt, quæ anterius ſupra ſcuta capitis obſoletæ, ibidem videntur confluere. Inde ſimiles, ſed minores, & alternæ, ibique bidentatæ per dorſi medium uſque ad finem caudæ, intervallo fere duarum ſquammarum interjecto, continuantur. Reliquus corporis color nitidus politiſſimus, ſupra ſaturate cinereus, ad latera & infra ex cinereo ſubruffeſcit. In lateribus obſoletæ, parvæ hinc inde etiam maculæ ſunt. Numero ſcutorum, ſquammarumque conveniret cum Gronoviana 22da, at minime eſt! Scuta & ſquammæ nitidiſſima, inſtar ſpeculi politiſſimi, ſubdiaphana, ex cæruleo ruffeſcentia. Summa ſcuta albicant, & tantum circa marginem ruffeſcunt; dein albus color ab 8vo & ſequentibus, ſenſim ruffeſcenti cedit, qui latius diffunditur: infima prope anum plus de cæruleſcente chalybeo participant. Albus tamen color ea non penitus deſerit, ſed ad latera utrinque in ſingulo ſcuto exiguam, quæ & verſus caudam continuo minor fit, maculam relinquit. Subinde, idque nulla certa lege, etiam in medio ſemimaculæ, ſeu puncta albicantia interſperguntur. Caudæ ſquammæ utrinque ad latera latiores, & fere punctatas, minusque regu-

lares maculas nanciſcuntur, & in univerſum colorem denuo conſequuntur magis palleſcentem, quam ſcutis ſupra anum erat.

HABITATIO.

Circa Viennam haud rara: in vallis, foſſis, ſepibus humidis.

MORES.

In morſum pronior ſequenti; tum duplici ſuperiore maxilla; tenerioris cutis animalia maxilla ſua ſuperiore duplici quaſi ſcarificat, uncinatisve dentibus adhæret, ut finem vix exſpectes, ſubinde etiam magno cum labore, ac difficultate per inſtrumenta recurvos ex carne dentes extrahere debeas. Tractatione tamen manſueſcit, tum amiciſſima homini; gratior, quod fœtoris & ſordium expers.

β. Juvenis variat abdomine; caudaque miniatis, colore magis obſcuro.

EXPERIMENTUM LVII.

Die. 22. Auguſti.

Primo ad experimenta adhibuimus juvenem canem, quem inclementer momordit in abdomine: inter hæc continuo irritavimus virgula ſerpentem, ut magis magisque iraſceretur. Debuimus vero dentes per inſtrumenta extrahere. Poſt mediam horam, cum quietus ſederet canis, denuo admovimus, eundem ſerpentem,

tem, ut, qua parte mordere vellet, ipſe eligeret: momordit autem canem ita intra nares, ut non niſi multo labore ſolvi potuerit, & inſtrumentis adjutus. Poſt omnes hos morſus ſanus fuit canis, ac alacer, ut ante. Jam vero & felem juvenem ad incognita ei tormenta adbibuimus: commorſa eſt in abdomine uno alterove parvo, ſed viſibili, & nonnihil cruento vulnuſculo. Dein ad rabiem ſummam commotum admovimus femori: dolorem morſu illato ſummum inſolito ejulatu felis teſtabatur: ſed repetito adhuc aliquoties experimento ſanus & jucundus manſit catus. Tandem & columbæ ſævum animal admovimus: illa miſerabili ſuſurru dolorem indicavit, quem ſufferebat; ſed ſolutis dentibus, quaſi nihil paſſa, avolavit.

EXPERIMENTUM LVIII.

Die 23. Auguſti.

Cum morſus ſupra cutem illati non nocerent in antecedenti experimento, protinus cani ſupra cubitum diſcidimus cutim, ac nudos jam muſculos ſivimus morderi: repetiimus hoc ſæpius, etiam manifeſtam ſpumam oris vulneri immitti vidi-

vidimus. Verum cum canis paulo poſt vulnus lamberet, inflximus adhuc aliud pone aures, eique loco morſus avidum iterum iterumve admovimus ſerpentem, & ſub ipſo morſu ad iram exſtimulavimus Saucius canis non magis ægrotavit, quam fuiſſet a ſolis vulneribus exſpectandum; imo vulnera ipſa exſpectatione citius conſanata ſunt.

COROLLARIUM.

Hæc manifeſte denotant hanc Coronellam veneno carere.

COLUBER VIPERA ANGLORUM.

Tab. IV. Fig. 1.

DIAGN.

Corpore toto aterrimo, immaculato; ſquammis lanceolatis, carina longitudinali inſcriptis; labiis punctis albis, nigrisve variatis.

DESCRIPTIO.

Machina dentium huic eadem, quæ Redianæ eſt viperæ. Oculi aureo-rubri. Labiorum ſquammulæ centro pallidiores os variegatum reddunt. Extimi roſtri circumferentia ſquammulis adornata eſt; inter has uſque ad oculos ſcutella minora ponuntur; quæ ſquammulis ſimillima ſunt. Orbitarum ſcutella, quæ oblonga ſunt, magnum intereſt ſcutum cunei-

for-

forme, poſt quæ duo minora ovata poſtrorſum concurrunt. Subſequentes ſquammæ ſenſim verſus occiput decreſcunt, & in occipite fiunt minutiſſimæ. Corpus nihil ſingulare habet, aterrimum eſt, ſquammulis ſummi dorſi minimis lanceolatis, lateralibus ſubrotundis, omnibus carina inſcriptis, maxime ſpectabili in ſummo dorſo, hinc lineæ longitudinales, veluti fila longitudinaliter ſupertenſa. In cauda carinæ fere explanantur. Subtus nitidiſſimus, at ater color hic paullulum expalleſcit in nigro-chalybeum.

HABITATIO.

In ſubalpinis Schneeberg.

MORES.

Morſus ſubiti per ictus arietinos. Minatur ſibilis.

EXPERIMENTUM LIX.

Die 2. Novembris.

Commordit aviculam in deplumato antea pectore multis morſibus, cum levi etiam dilaceratione cutis. Avicula exinde ſtatim male habere incepit: alæ pendulæ erant, & plumæ diſtortæ; altera die nigricantes circa nonnulla vulnuſcula exhibuit plagas ſine tumore: inter hæc tamen comedit, & bibit. Sequentibus diebus maculæ ſenſim evaneſcebant: animal

ſa-

ſanum ac hilare fuit, & cecinit, ad nova jam experimenta aptum.

EXPERIMENTUM LX.

Die eadem.

Curavimus etiam ſæpius morderi columbam in femore deplumato : poſt experimentum maculæ quaſi morſuum pulicum ſupererant, quæ cito evaneſcebant: nec columba exinde ægrotavit.

EXPERIMENTUM LXI.

Die 4. Novembris.

Volebam autem videre, an conſueto mordendi modo non majus inferre damnum poſſit ; hinc canem nudo ſuo abdomine ſerpenti obtuli: ille iratus, quemadmodum hæc ſpecies ſolet, aperto ore per arietinos quaſi ictus irruit, idque ultra 50. vices repetiit. Poſt hæc omnia caute examinavimus cutim, nullum vero vel minimum ſtigma obſervavimus, & animal, quod ſub ipſo experimento non reluctabatur, aut dolorem teſtabatur, etiam poſtea exinde non ægrotabat.

EX-

EXPERIMENTUM LXII.

Die eadem.

Eidem cani vulnus in femore profundum, duos transverſos digitos latum, ita, ut ſerpens exacte carnes potuerit morſu comprehendere, inflixi. Cum ergo iratus os aperiret, applicui, & digitis maxillas ſupra carnes diu compreſſi. ita ſpuma naſcebatur in vulnere: idem adhuc ſæpius, quam decies repetitum eſt. Tum vulnus ſutura exacte claudebam; canis vero claudicabat quidem, ſed edebat & bibebat, & paulo poſt per multas horas dormiebat, atque intra duas ſeptimanas in integrum a ſuo vulnere convaleſcebat, quod a morſu nullam profecto malam notam contraxit.

EXPERIMENTUM LXIII.

Die 8. Novembris.

His experimentis innotuit mite non ſolum hujus animalis venenum eſſe, ſed viribus etiam ad nocendum deſtitui. Obtulimus ergo absque metu unusquisque noſtras proprias manus; irruens inſtar furiæ cum ira momordit, ſed vi inefficaci nequivit cutim perrodere.

CO-

COROLLARIUM.

Adeoque non timendum eſſe hunc ſerpentem concluſimus.

COLUBER BERUS.

Tab. II. Fig. 1.

DIAGN.

Corpore cinereo (feminæ), ex fuſco ruffo (mari); tænia dorſali nigra fulminata, utrinque punctis alternis, cuique ſinui reſpondentibus nigris.

DESCRIPTIO.

Dentium huic machina eadem, quæ ſequenti Redianæ. Extremum os, qua ſcutis tegitur, nigricat. Scuta illa circiter prioris, ſed minora. Caput vero poſtice magis diductum, in cujus ſingulum lobum lacinia nigræ illius maculæ extenditur. Gula, ac utrumque labium obſolete albicantia; margines vero ſquammarum fuſceſcentes. Sub extremo ore duæ ſquammæ majores. Caput oblongum depreſſo-tetragonum. Oculi laterales ignei. Verticis maculæ duæ longitudinales confluunt antrorſum. Nuchæ quoque inſidet macula oblonga, recta, ſeſquilineam lata, pollicem longa, poſt quam, factis angulis alternis, ſeu fulmineo quaſi ductu, per medium deſcendit dorſum caudamve, ad cujus finem extenuatur, & evaneſcit. Latera dorſi maculæ, multo tamen obſoletiores, occupant. Eæ ex ſimili macula, quæ ad commiſſuras maxillarum eſt, interſtitiis relictis inter

ſe

ſe utrinque, & cum dentibus mediæ illius tæniæ alternant. Color ſerpenti fuſcus eſt; macularum vero profundior, alterique ſexui niger. Scuta abdominalia latiſſima, ut mediam propemodum peripheriæ partem tegant Prima, ſeu gulæ contigua, obſolete albicant, cum margine fuſco; ſequentia ex pallido & nigro varia ſunt. Reliqua omnia tota nigricantia, margine inferiori diaphano. Cauda teres, gracilis, breviſſima. Dentes omnia hæc animalia fere uncinatos & poſtrorſum recurvos habent, ut præda, quam obtinuere ſemel, deglutiri quidem poſſit, effugere vero nequaquam.

HABITATIO.

In ſubalpinis Schneeberg.

MORES.

Minatur ſibilis horrendis. Morſura ſubito irruit in inimicum.

β. Mari maculæ nigræ, quæ feminæ nigro-fuſcæ.

EXPERIMENTUM LXIV.

Die 10. Septembris.

Plurimum in iram concitatum forcipe admovimus (abdomine, ac femore deplumatæ) columbæ, & tamdiu curavimus mordere, uſque dum ſanguis undequaque prodiret, & femur totum, atque abdomen quaſi infinitis vulnuſculis ſcari-

ficata essent. Dimissa columba statim claudicavit, debilis visa est, quieta sedit, nec locum mutare sustinuit, oblatum cibum, potumve recusavit. Paucis post minutis examinavimus locum demorsum, qui circa vulnuscula majora nigras plagas exhibebat, quasi ab effuso sub cute sanguine. Cæterum tota sicca circumquaque rigebat cutis; sanguis hinc inde prominens nigricabat. Altera die pars late nigra & tumida fuit, quasi extravasatione sub cellulosa late diffusa. Tumor vero mollis, rugosus, & quasi emphysematicus erat. Tertia die ultra mediam horam vehementer convulsa, tandem mortua est. Jussi illico deplumari: tunc apparuit partem femoris gangræna fœtida jam eliquatam; tumorem ad thoracem usque, & ad oppositum latus diffusum. Discisso femore inter musculos, & sub cute cruor partim congrumatus, partim dissolutus inter erat; omnia ad ossa usque nigra erant. Demum cor ipsum tumidum, in tota substantia nigrum, friabile, sphacelatum.

EXPERIMENTUM LXV.

Die eadem.

Eadem tamen die canem, ac felem morderi sivimus: ista vero animalia nihil ma-

mali inde queſta ſunt. Sequentibus ergo diebus omne animalium genus ſævo huic colubro objecimus; mordebantur juniores, & perteneræ aviculæ ad ſex. Cuniculi quoque, quibus cutis eſt delicatiſſima: verum etſi his ad ſingulos fere ictus ſanguis prodiret ex vulnuſculis, tamen non potuimus ullum his animalibus illatum incommodum obſervare, verum vulnuſcula intra paucas horas jam evaneſcebant.

EXPERIMENTUM LXVI.

Die eadem.

Verum, cum tantum per ictus celerrimos momordiſſet in experimento præcedenti, ſuſpicatus ſum, ne forte non ſatis profunde penetraverint dentes: itaque tenerrimis aviculis, quibus delicatiſſima inſuper cutis eſt, dentes illos falcatos vi appreſſi, ut profunde in carnes intrarent. Aviculæ tamen omnes evaſerunt, & vulnuſcula nullam contraxerunt nigredinem. Idem in catulo factum eſt, ſed poſt 24 horas nihil, præter veſtigia quaſi puſtularum, ſupererat.

EXPERIMENTUM LXVII.

Die eadem.

Itaque ut morſus nudis inferretur carnibus, vulnera lata infliximus canibus duobus, & uni feli: mordebat vero tanta aviditate, ac ira ſingula hæc animalia, ut humorem oris & dentium vulneri, non ſine ſpuma facta, immitteret, cane ob doloris ſævitiem vehementer clamante. Verum vulnus facile tamen, & ſine mala nota brevi unicuique conſanabatur.

EXPERIMENTUM LXVIII.

Die 6. Octobris.

Sed etiam novum, ac nativa ſævitie ferociorem, neque hominum conſuetudine adhuc mitigatum alpium colubrum nactus ſum. Ut igitur ſtatim a directis experimentis rem inchoarem, vulneravi columbas, pullos, cuniculis etiam cutim detraxi, ut protinus nudos morderet muſculos: momordit vero incredibili cum ira, & ferocia, & continuo ſibilans; cumque caput diutius apprimeremus nudæ carni, ſalivalem humorem plurimum immiſit vulneri. Vulnera tamen omnia bonæ notæ erant, & cito conſanabantur. Cuniculi etiam

etiam ab experimentis dimissi discurrerunt, luserunt, vorarunt, ac si nullum vulnus accepissent.

EXPERIMENTUM LXIX.

Die 12. Octobris.

Quietem indulsimus per aliquot dies serpenti: tunc denuo admovi pullo, ut morderetur; momordit vero in latere dextro, ut sanguis ex vulnusculis prodiret. Unum eorum nigrescebat: verum hoc non impedivit, ut ederet, biberetque post experimentum, & continuis sequentibus diebus. Ipsa etiam macula paulo post evanuit.

EXPERIMENTUM LXX.

His visis non timuimus proprias nostras manus furori hujus colubri objicere; at inefficax, ceu prior, hastas suas transcutim nequivit adigere.

COROLLARIUM.

Concluſimus inde, serpentem hunc minoribus ad summum forte animalibus, quibus inhiat, vix aut ne vix nocere posse; minime tamen perdendo homini sufficere. Inde vero falsa esse noscitur Linnæi regula: quod omnis serpens tali instructus telo, seu dentibus exsertilibus, venenatus sit.

Mirari ſatis non poſſum, celeberrimos Academiæ ſcientiarum Regiæ brittanicæ ſocios utrique huic colubro tam horrendum adſcribere virus trans. phil. n. 443. & ſeq. Dubito multum, an animoſus ille William Oliver adeo audax cum noſtris Illyricis & Italicis viperis fuiſſet. Facilius ſane eidem erat antitodum jactare, ubi venenum nullum fuit. Si tamen in borealibus forte terris hæ eædem ſpecies venenatiores ſint, poterunt illi, me non obſtante, ſuis oleis, ſeu amygdalino ſeu Palmino ſeu animali axungia pro libitu uti; cumque hi colubri æſtivo tempore ſæpe admodum pingues occurrant, poterunt iiſdem, defectu alterius olei, pinguedinem eruere, ut idem, qui nocuit, ſit ipſe Antidoto.

VIPERA FRANC. REDI.

Aldrov. ſerp. pag. 115. 116.

DIAGN.

Naſo inermi; corpore ſtriis transverſis brevibus alternis, quadruplici ſerie longitudinali, intermediis antice confluentibus.

DESCRIPTIO.

Tela venenata viperis peculiaria ſunt: oſſiculum nempe utrinque inter nares & oculos oriens, teretiuſculum, parum curvum, baſi ſua firmiter fini anteriori maxillæ articulatum, interne longitudinaliter ſulco exfectum, folliculum, in quo continetur, non excedens, obtuſum, nunquamnon erectiuſculum; alteri, ex

ex ipſo folliculo orto, punctum fixum præbens, cavitate ſua applicatum. Hoc, quod proprie venenatum, tenuius, arcuatum, acutiſſimum, folliculum multum excedens, minime articulatum, ſed carnoſæ folliculi parti laxe adhærens, naturali ſitu in ejuſdem cavum reclinatum oculis ſe ſubducit: ſed muſculo inſtruitur, quo ab irato animali erigitur, cum morſum lethalem meditatur infligere; tunc firmatur utrinque folliculi lateribus, antice vero carina excavati officuli.

Naſus obtuſus, & aliquantulum retuſus eſt absque ullo cornu.

Extremum roſtrum, quod naribus intereſt, ſub limbo tribus munitur ſcutis, quorum medium triangulare eſt; limbus circa circum uſque ad ipſos protractos orbitarum fornices ſquammulis convexis emarginatur, quarum binæ priores inſigniores ſunt. *Nares ſurſum retortas* dixit in carmine de therica ANDROMACHUS.

Orbitarum ſcuta, ſub quibus oculi aurei deliteſcunt, ipſa in limbo extremo flaveſcunt aureo fere nitore. Superius capitis planum ante oculos ſquammulis convexis minoribus, inter & poſt oculos ſquammis majoribus, at in occipite denuo minoribus, iiſque carinatis imbricatur. Color ſcutis narinis flavus, toti vero ſuperno capitis plano obſcurus; cæterum pro ſexus varietate diverſus eſt: mari nempe cinereus, & variis lineolis atris variegatus; feminæ profunde fuſcus, ut hæc lineolarum variegatio non internoſcatur; in omni vero ſexu

duæ arcuatæ lineolæ, quæ utrinque ad occipitis angulum ſpectantur, conſtantes adſunt.

Ad nucham oblongæ, oblique-tranſverſæ lineolæ atræ primæ apparent, quæ per ſummam ſpinæ dorſi regionem primo ſimplici ſerie continuantur, paulo poſt vero, ubi truncus lateſcere incipit, diviſa in duos ordines, quorum lineolæ plerumque alternant; ſed in cauda denuo in unicam, alterne dentatam, lineam non tranſverſim tantum; ſed longitudinaliter quoque confluunt. Laterales lineolarum tranſverſarum ordines ab ipſis angulis oris originem ſumunt, ubi forma punctorum primo apparent, ſenſim vero aliquam longitudinem obliquam conſequuntur, Ubi truncus latiſſimus eſt, etiam nova ſeries lineolarum nigrarum, utrinque infimo loco enaſcitur, quæ, ut abdomini vicinæ ſunt, eidem committuntur.

Labia utraque alba ſunt: ſuperiora per tæniolam nigricantem, ab oculo ortam, per poſteriora capitis latera excurrentem, a reliquo capite diſtinguuntur; inferiora punctulata ſunt, ceu tota gula; ſcuta nitidiſſima utrinque ex nigro & albo teſſellato-variegata ſunt; intermedia pars ſummis alba, ex nigro & fuſco elegantiſſimo; poſteriorum obſcura, nigra, ex fuſco punctato-variegata.

Cauda demum breviſſima, ſubtus utrinque nigricans; in medio vero ad concurſum utriuſque ſquammularum ordinis linea longitudinali, ex fuſco flaveſcente, ad extremum lateſcente, diſtinguitur.

Squam-

Squammæ univerſi corporis carina eminente longitudinali inſcribuntur, quæ, in lineas diſpoſitæ, fila per longitudinem corporis ducta præſeferunt.

HABITATIO.

In littorali Auſtriaco, & Italico.

Ex hac ſpecie trohiſci viperini officinarum Italicarum; ex eadem ſal viperinus, & axungia elicitur iiſdem. Hæc ſiccata, & viva ibidem proſtat; hæc theriacam ingreditur Italicam. Ita reliquente Naturaliſta Italico ſui ævi maximo ULYSSE ALDROVANDO, Romani tamen Aſpidem Cleopatræ eligunt, quam magnis ſumptibus in Ægypto coëmi vidit FRIDERICUS HASSELQUIST.

EXPERIMENTUM LXXI.

Die 22. Novembris.

Ingentem nactus ſum viperarum copiam, quanta forte nec REDI, nec CHARAS, vel quiscunque alius inſtructus fuit; ſelectum ergo ampliſſimum habui, iratiſſimarum, maximarum, fortiſſimarumque. Hoc uſus ſum ad indagandum antidotum in gratiam generis humani, dum hucuſque nullum cognitum habebatur, ſed abſque ullo auxilio plurimos quotannis homines ex peſte horum animalium interire contingit. Ut debito ordine inſtituerentur ex-

perimenta, primo erat oſtendendum, morſum hujus viperæ omnibus animalibus lethalem eſſe. Admovimus ergo viperam, manu in cŏllo comprehenſam, primo gallinæ, ut eandem morderet; ſtupebamus vim veneni, dum intra pauca minuta eandem concidere, & interire vidimus. Similem, ſed recentem cuniculo & novum iterum columbæ applicuimus. Nunquam mors ultra 10 minuta dilata eſt, etſi nonniſi ſummam cutem dente raſerit truculenta beſtia! Vulnuſcula vix notabiliter liveſcebant. Anatome exactiſſime inſtituta cor, pulmones, hepar, lienem ſaniſſima, & immutata exhibuit, at totus inteſtinorum tractus omnibus liveſcebat.

EXPERIMENTUM LXXII.

Die eadem.

Eaſdem viperas adhuc aliis gallinis, & cuniculis applicuimus: unaquæque poſt morſum ægrotabat, & ſe vix pedibus ſuſtinebat. Plaga demorſa tumebat, nigreſcebatque late; ſed animalia illa ſenſim tamen reficiebantur, & ad ſanitatem redibant. Tertius morſus ejuſdem viperæ leviora ſymptomata cauſavit, ſed plagam ſphacelatam, fere latiorem, quam

ſecun-

ſecundus. Quartus ſæpe prorſus nullum attulit incommodum animali morſo. Concludebamus exinde, venenum morſu exhauriri, hinc ad experimenta ſingula recentem viperam ſemper adhibendam eſſe; poſt ſextum tamen, ſeptimumve diem obſervavimus primam viperis lethiferam efficaciam rediiſſe, gutta pellucida nitida, flava plerumque luculenter ſecundum dentem, dum eum ad morſum extendit, defluente. Parum me præſtitiſſe credidiſſem, ſi his experimentis contentus fuiſſem, licet viderem, alios his ſolis ſummam nominis claritatem, & immortalitatem conſequutos; ſed volui ad ulteriora progredi, nec ceſſare, donec vitam humanam novo, certoque muniviſſem antidoto. Medicamenta, in quibus maxime ſperandum eſſe videbatur, erant vel maxime olea preſſa.

EXPERIMENTUM LXXIII.

Die 25. Novembris.

Quoniam Angli tanta miracula ex oleo olivarum contra ſuam viperam vidiſſent, volui efficaciam ejuſdem contra hanc ipſam quoque experiri; quamobrem cuniculo & columbæ ſimile oleum in-

ingeſſimus, & paulo poſt morderi curavimus: verum hoc non obſtante tamen paulo poſt rapti ſunt ambo.

EXPERIMENTUM LXXIV.

Die eadem.

Eventum prioris experimenti in nimis parvam olei quantitatem rejecimus: multam ergo diligentiam adhibuimus, ut duabus columbis magnam ingereremus doſim, qua tota ingluvies late diſtenderetur. Reliquimus ita columbas has in quiete, ut oleum per omnes corporis officinas æquabiliter divideretur, & unoquoque in loco veneno poſſet occurrere. Verum cum commorſæ erant, nihilominus ſtatim cæpere debilitatis & leipothymiæ ſigna edere, oleum revomere, & intra idem tempus, quo priores interire.

EXPERIMENTUM LXXV.

Die eadem.

Oleo olivarum nihil juvante, proximum erat, ut oleum amygdalinum tentaremus,

(*) Columbis antidota aliquot horis ante experimentum, ingerenda, quia actionem retardat ingluvies.

remus, & oleum palmæ, cujus potentiam ſpecificam contra viperas extollit Bouldoucius. Verum etiam hæc nec minuto quidem diutius mortes columbarum & cuniculorum remorabantur.

EXPERIMENTUM LXXVI.

Die eadem.

Cum ergo in morſu hujus ſpeciei fallant olea preſſa, judicavimus refugiendum ad antidota, quæ aliis laudantur auctoribus. Princeps eorum ſane erat ſal alcalinus volatilis, quem ſpecificum contra morſum viperæ ſuæ invenit Moses Charas. Dedimus ergo imprimis duabus gallinis ſpiritum cornu cervi, aqua dilutum, ſatis magna doſi; præter eum columbæ & cuniculo bonam doſim ſpiritus ſalis ammoniaci, etiam lympha temperati: bene valentibus animalibus viperas noſtras admovimus: ſaucia eadem paſſa ſunt ſymptomata, quæ priora; imo præter illa convulſionibus cum hemiplegiæ ſpecie corripiebantur, & citius rapta ſunt, quam alia.

EXPERIMENTUM LXXVII.

Die eadem.

Notum eſt, antidotum CHARAS oleo eſſentiali ſuccini addito efficacius reddidiſſe Cl. JUSSIEU. Junctum ergo ſpiritum ſalis ammoniaci cum eodem oleo cuniculo & duabus columbis quantitate ſatis ſpectabili ingeſſimus; ſed nullum potuimus alium effectum obſervare, niſi, quod præter ordinaria mortis ſymptomata adhuc terribilibus convulſionibus concuſſa, & ante legitimum tempus mortua ſint. Sola inunctio cum oleo ſuccini non plus attulit emolumenti.

EXPERIMENTUM LXXVIII.

Die 29. Decembris.

Cum ergo ordinariis remediis venenum hujus ſpeciei non obediat, res erat aleæ ſeu fortunæ committenda. Tamen quoniam in omnibus noſtris cadaveribus inteſtina liveſcere videremus, voluimus talia præprimis tentare, quæ validam actionem in ipſa inteſtina habent; primo nempe purgantia: & ante reliqua celebrem POUDRE D'AILHAUD, qui ruri paſſim a ſuperſtitioſa plebecula pro remedio univerſali magnis ſumptibus ex Gallia emi-

emitur. Ingeſſi hujus pulveris inſignem quantitatem columbæ: medicamen hoc vix multum mutavit columbam, ſed morſæ demum nullum tamen conceſſit privilegium, quo minus æque cito moreretur, ac priores.

EXPERIMENTUM LXXIX.

Die eadem.

Acetum lithargyrii colicam pictonum inducit, adeoque ſimiliter petit inteſtina, & vel maxime nervos illorum, ſed alio longe, imo contrario cum effectu, quam purgantia; cum ergo venenum viperinum inteſtinorum nervis inſideat, attamen purgantia non juvarent, ipſum acetum lithargyrii columbæ hora ante morſum ingeſſeram, ſpe, ut forte vim veneni ex ea parte repelleret. Verum ſcopum necdum attigi, ſed æque cito periit ac aliæ omnes.

EXPERIMENTUM LXXX.

Die eadem.

Opium quoque, cum emotiones nerveas compeſcat, cuniculo ingeſſi: ſed ſervare etiam hoc minime potuit miſerum animal.

EX-

EXPERIMENTUM LXXXI.

Die eadem.

Cum in primis noſtris cum hac vipera ſuſceptis experimentis videremus lethales morſus in externa corporis ſuperficie vix ſui veſtigium relinquere, effœtos vero tanto majores plagas lividas cauſare, quo minus ſymptomatum excitent, non, credo, male concluſimus, veneni vim ibi ſtatim ad interiora translatam vitalem machinam perdidiſſe, hic vero in ſuperficie remanens non ſalutaſſe interiora, adeoque nec mortis attuliſſe neceſſitatem. Tentavimus, an non poſſemus veneni vim admoto ferro candente vel in ſuperficie retinere, vel ibidem comburendo deſtruere: verum & iſtud tentamen fruſtraneum fuit, nam hoc quoque animal cum ſymptomatibus priorum, & intra idem tempus interiit.

EXPERIMENTUM LXXXII.

Eadem die.

Ita vero deſperavimus de antidoto. Communicaverat vero Rev. P. HOHENWARTH Hiſtoriarum in Collegio Nobilium Thereſiano Profeſſor, Hiſtoriæ naturalis cultor aſſiduus ariſtolochiam anguicidam,

dam, ſibi a Cel. JACQUINO pro re rariſſima ex America allatam. Redigendo in pulverem fœtor ſparſus, qui tuſori vomitum cauſavit; ingeſſimus columbæ magnam doſim, quam ſine vomitu, aut alio ſymptomate ultra horam tulit. Verum hoc licet munita antidoto, tamen a morſu intra breviſſimum tempus, & cum convulſionibus vehementiſſimis rapta eſt.

EXPERIMENTUM LXXXIII.

Die eadem.

Supererat adhuc camphora, a qua quantum ſperari poſſit, omnibus eſt notum. Verum & hæc contra morſum viperæ nihil juvit, ſed cuniculus, cum quo experimentum fiebat, paulo poſt morſum cadaverum acervum auxit.

EXPERIMENTUM LXXXIV.

Eadem Die.

Præparavimus alium cuniculum pulvere aconiti, qui præter ſaccharum ſex grana extracti capiebat: tulit animal hanc doſim, uſque dum morſum ſubiret, abſque ullo incommodo. Sed paulo poſt morſum, ceu omnia reliqua, pariter interiit.

EXPERIMENTUM LXXXV.

Die eadem.

Mercurii vis ad ſyphilitidem, ad variolas, ad peſtem ſpecifica, multiplex antidotum eſt; voluimus ergo etiam contra viperinum toxicum tentare. Ingeſſimus ergo columbæ binis ante morſum horis mercurii dulcis gr. II.; mortuum tamen animal, ſed lentiſſime, & absque convulſionibus eſt.

EXPERIMENTUM LXXXVI.

Die eadem.

Cuniculo vero mercurium gummoſum, nobile inventum celeberrimi Chirurgi PLENCKII, ingeſſimus. Animal hoc medicamen non ſolum libenter, ſed avide deglutiit, quaſi multum gratiæ haberet, etiam bene, & citra incommodum tulit. Admovimus tunc novam viperam, quæ ſumma cum violentia dentes ſuos binos venenatos in abdominis latus, quod antea pilis nudaveramus, infixit: ab hoc morſu nullum ſymptoma ſupervenit, & animal per cubiculum cucurrit, veluti ſanum, imo comedit poſtea ſibi oblata folia braſſicæ cum appetitu, & vivit in hanc horam.

EX-

EXPERIMENTUM LXXXVII.

Die eadem.

Habueramus adhuc alium cuniculum, cui ante horam insignem dosin pulveris rad. gentianæ ingesseramus: hic æque parum a morsu viperæ nostræ læsus est, sed continuo currens per cubiculum, alacer, & sanus mansit. Attamen ut magis certi essemus de gentianæ vi, eundem cuniculum repetito morderi curavimus ab alia nova vipera. Celeberrimus CHARAS conservavit suas columbas suis antidotis ab unico morsu, verum contra duos præmunire nunquam potuit. *vid. Oper. III.* 165. *in fin.*; verum noster hic cuniculus etiam post alterum morsum mansit incolumis. Tanta est gentianæ contra venenum hujus viperæ efficacia!

EXPERIMENTUM LXXXVIII.

Die 31. Decemb.

Reiterandum adhuc pro majori rei certitudine experimentum cum mercurio gummoso e re nostra videbatur. Quam ob rem iterum cuniculo cuidam eundem ope infundibuli crassum, & concentratum infudimus. Retinuit etiam hunc absque incommodo tenella bestiola. Post aliquod

tempus viperam iratam admovimus ad morſum. Nullum jam ille morſus damnum inferre poterat animali; imo nec vulnuſculum quidem liveſcebat, & cuniculus poſt quadrantem horæ oblata ſibi braſſicæ folia nequaquam recuſavit.

EXPERIMENTUM LXXXIX.

Die eadem.

Cogitandum itaque videbatur de conjungendo utroque antidoto in unam concinnam formulam, quæ homini in tali diſcrimine conſtituto poſſit pro hauſtu ordinari.

Confecimus ergo ſequentem:

℞. ℥ ii vivi ʒß.
gum. arabici ʒij.
M. terantur invicem in mortario lapideo in pulverem, cui, continuata trituratione ſenſim, ac guttatim inſtillentur ▽ font. ʒiij; æquabiliter ſolutis & ſubactis adde
Extract. gentianæ ϑij.
Sacchar. albi ʒij.
Sign. Hauſtus pro doſi.

Mixturæ hoc modo concinnatæ catulo menſem agenti duo cochlearia ope infundibuli

buli infudimus. Retinuit hanc dosin catulus, neque incommodum inde videbatur pati. Post semihoram admovimus ferociſſimam viperam, quæ eum acriter momordit, primo ad genitalia, tum adhuc ad naſum, & labium inferius. Inde aliquantum male ſe habere viſus eſt, & paulo poſt medicamentum bino vomitu reddidit. Ingeſſimus ſtatim iterum novum, quod ipſum etiam poſt medium horæ quadrantem revomuit: attamen inter hæc jam cæpit alacer fieri, nec videbatur poſt ſecundam hanc revomitionem amplius medicamento indigere. Vivit etiam ab eo tempore ſanus uſque in hanc horam.

COROLLARIUM.

Ergo omnino venenatiſſima hæc vipera eſt, ſed primus ſolum ejusdem morſus abſolute lethalis eſt; ſubſequentes, dum ſenſim, ſenſimque magis exhauritur veneni penus, etiam ſenſim, ſenſimque magis effœti, & innocui ſunt. Vulnus tunc late lividum bonam prognoſim facit. In diſcrimine vero graviſſimo, in quo ars ſalutaris hactenus nullum cognitum habuit antidotum primo mihi cum expertiſſimo Collega WINTERL fortuna obtigit in generis humani perenne emolumentum duo detegendi antidota

GENTIANAM, ET MERCURIUM GUMMOSUM, quæ in formulam antedictam juncta homini exhibita vix fallent; attamen si revomatur, sedulo iterum iterumve ingerenda sunt, donec pertinax vincatur malum.

TAB: I.

A. Cipps M. St. sculpsit.

TAB:II.



TAB: III.

Fig: I.

Fig: III.

Fig: II.

Fig: IV.

TAB: IV.

Fig: I.

Fig: III.

Fig: II.

TAB: V.



Fig: I.

Fig: II.